UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Qvadripartitae Conciones Stanislai Grodicii Societatis Iesv

Qvarum Primae, Timorem Sanctvm Incvtiunt; secundae Fidem Catholicam confirmant; tertiae Spem erigunt; postremae diuinam in nobis Charitatem excitant ...

Continet sex Dominicas Quadragesimae, & coenam cum paßione Domini

**Grodzicki, Stanisław**

**Ingolstadii, 1609**

Dominica In Palmis. Euang. Matth. 21.

**Nutzungsbedingungen**

urn:nbn:de:hbz:466:1-56003

Visual Library

# DOMINICA IN PALMIS.

*Euang. Matth.* 21.

IN illo tempore. Cum appropinquaſſet IESVS Hieroſolymis, & veniſſet Bethphage, ad montem Oliueti, tunc miſit duos diſcipulos, dicens eis. Ite in caſtellum quod contra vos eſt: & ſtatim inuenietis aſinam alligatam & pullum cum ea, ſoluite & adducite mihi. Et ſi quis vobis aliquid dixerit: dicite quia Dominus his opus habet: & confeſtim dimittet eos. Hoc autem totum factum eſt, vt adimpleretur, quod dictum eſt per Prophetam dicentem: Dicite filiæ Syon; ecce rex tuus venit tibi mãſuetus, ſedens ſuper aſinam, & pul-

lum filium ſubiugalis. Euntes autẽ diſcipuli, fecerunt ſicut præceperat illis IESVS. Et adduxerunt aſinam & pullum: & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt. Plurima autem turba ſtrauerunt veſtimenta ſua in via. Alij autem cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in via. Turbæ autem quæ præcedebant, & quę ſequebantur clamabant dicentes: Hoſanna filio Dauid: benedictus qui venit in nomine Domini.

## PARTITIO.

*Partitionem Euangelij noſtro propoſito aptiorem non video, quam ratione perſonarum quæ in iſta ſacra hiſtoria reperiuntur. Quarum prima & primaria eſt ipſe Chriſtus Ieſus dominus noſter, qui adduci ſibi aſellos iubet, qui ijs inſidet, qui ſic triumphum ſuum peragit. Deinde ſunt Apoſtoli, qui non ſolum iuſſa Chriſti exequuntur, ſed & addunt, quæ illis demandata nõ erant. Eſt præterea Euangeliſta Matthæus (imo omnes quatuor) qui factum narrat, & in teſtimonium Prophetam adducit. Sunt denique turbæ, hîc quidem morigeræ, & quæ Chriſto Meſsiæ*

*multa*

*multa præſtant honoris officia : at paulo poſt contrariæ, turbantur, mutantur, furunt, inſaniunt. Vtrumque recolit hodie Eccleſia, idem & nos illam ſequentes faciemus.*

*Itaque* TVRBA *iſta fluxa, turbida, & turbulenta timorem nobis incutiet, monebitque ne illi ſimiles eſſe velimus. Apoſtoli tum poteſtate accepta: tum iis quæ è ſuo addiderunt fidem firmabunt Catholicam. Euangeliſtæ, cum ea quam deſcribunt hiſtoria ( quam explicabimus & doctrinas ex ea hauriemus) ſpem erigent. Chriſtus denique Ieſus, & aſelli quibus inſidet, charitatem & pediſſequam ipſius humilitatem ac cæteras virtutes, cum omnes tum vero perſonas religioſas docebunt.*

# CONCIO I.
## TIMOR.

*TVRBÆ.*

*Plurima autem turba.*

ALtera ab hinc Dominica mirati ſumus, qui Eccleſia Chriſti tum temporis triſtitiam cum lætitia duo ſibi repugnantia eadem coniunxerit die : at multo magis nos hodie demirari oportet, quomodo eadem

*Inſtituti Eccleſiæ cauſæ tres.*

magiſtra noſtra, triumphum Chriſti cum paſſione ipſius, magnam gloriam cũ ſumma ignominia, res adeo ſibi contrarias ſimul nobis ſpectanda propoſuerit. Quod in noſtris vel maxime apparet partibus, vbi ſolennem proceſſionem multis ceremoniis ad gloriam Chriſti excogitatis, ac lætitię ſignis decoratam; ignominioſa, triſtis, & acerba paſſionis Ieſu memoria, in ſanctiſſimo Miſſæ ſacrificio decantari ſolita ſubſequitur. Quæ obſecro ſunt tantæ varietatis cauſæ? Quis doctor aut ductor? Non alius certe quam Spiritus ſanctus, qui illam docet & gubernat. Cauſas tres tango, plures vos à Deo impetrate. Prima eſt ipſe Chriſtus Ieſus, qui tum alias ſæpe, tum in hoc ipſo facto hodierno exemplum nobis huius rei dedit. Quid enim ſi mundi ſequaris iudicium, abſurdum magis, magiſque contrarium, quam cum triumphas flere, quam tota propter te lætante Ciuitate, præ magna animi triſtitia in lachrymas reſolui? Et vero hæc fecit Chriſtus. Nam teſte alio Euangeliſta, *cum appropinquauit videns Ciuitatem fleuit ſuper eam.* Quod eadem qua triumphauit, factum eſſe die, continuata D. Lucæ ſuadet narratio. Altera huius inſtituti Eccleſiæ, dari poteſt cauſſa, bonum noſtrum, nempe vt nos doceat, quomodo honores, delitiæ & triumphi huius mundi non ſolũ tranſeunt bre-

*1. Exemplũ Chriſti.*

*Luc. 19. 41.*

*2. Bonum noſtrum.*

breuiſſime, ſed ſæpe etiam in contrariũ mutantur. O quot ſunt in profanis hyſtoriis talia euenta? Non turbæ igitur & hominibus ſed Deo tuo & Chriſto Ieſu fidas. Poſtrema ratio eodem ſpectat, vt videlicet tu tum huius, tum omnis turbæ inconſtantiam conſiderans caueas, ne in numero ipſius cenſearis.

*3. Turba inconſtantia.*

Nos igitur hac poſtrema cauſa permoti matremque ſpectantes, primum quidem quam ſit proprium turbæ turbari & turbare. Deinde quid ſint turbationes iſtæ, & quibus authoribus fiant: tum ventos: poſtea flabra, ſeu flabella, quibus venti iſti excitantur demonſtrabimus, ac demum malis remedia adhibere ſtudebimus. Effice Chriſti Ieſu, ita id dicamus agamuſque, vt tibi immutabili Deo noſtro adhærentes, in bono nunquam amplius fluctuemus.

*PROP. Quimembris.*

Recte ſane non ſolum à profanis, ſed etiam à ſacris ſcriptoribus TVRBA magno mari, ipſique Oceano comparari conſueuit. Sicut enim mare ventis diuerſis imo contrariis exagitatum illico intumeſcit, turbatur, agitatur, & nauigantibus maxima pericula, ipſumque procreat ſæpe interitum: ita TVRBA variis raroque bonis, ſed malis plerumque conſiliis, quaſi ventis quibuſdam facile concutitur, iactatur, ac in diuerſas

*I. MEMB. Turba turbulenta.*

*Mari comparata.*

uerſas

uerſas imo contrarias impellitur factiones. Nonne id in TVRBA iſta Iudaica ſole meridiano apparet lucidius? Flauerat in eam die hodierna Auſter calidus, & amabilis, quem Ioannes illis deſcribit verbis. *Teſtimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo quando Lazarum vocauit de monumento, & ſuſcitauit à mortuis. Propterea & obuiam venit ei turba.* TVRBA igitur quæ erat cum Chriſto, TVRBAM aliam bono & calido afflat vento: quo illa calefacta quid non facit? Breuibus deſcribit hoc noſter Matthæus dicens: PLVRIMA AVTEM TVRBA STRAVERVNT VESTIMENTA SVA IN VIA ALII AVTEM CÆDEBANT RAMOS DE ARBORIBVS, ET STERNEBANT IN VIA &c, ET CLAMABANT DICENTES HOSANA FILIO DAVID: &c. Quæ omnia amoris & reuerentiæ ſigna in Ieſum fuiſſe quis non videt? Sed & id conſpicitis tam vrentem hunc ventū fuiſſe, vt & veſtes deponere, & ad pedes aſini iactare, & ipſos ſeminudos incedere coegerit. Magnus feruor! At erumpente & irruente in illos paulo poſt, (forte in quoſdā eodem die ex conſortio phariſæorum) aura contraria, & vento Aquilonari frigido, quo perculſus Petrus primum quidem ſtabat ad prunas, & calefaciebat ſe, poſtea vero etiam ipſum negauit Chriſtum. Hoc inquam vento

*Euidens id in iſta turba.*

*Ioa. 12. 17.*

*Etiam in ipſo Petro.*

to excitato per *pontifices* qui *concitauerunt* *Ioa. 18. 18.*
*TVRBAM & perſuaſerunt populis*, vt *peterent* *Mar. 14. 11*
*Barabbam Ieſum vero perderent.* in contrariũ *Mat. 27. 20*
prolapſi ſunt pene vniuerſi. Illud in proceſ-
ſione repræſentatum vidiſtis, hoc dum in
ſacro ſacra legeretur Chriſti paſſio recitatũ
audiuiſtis, & vt opinor obſtupuiſtis. Quis e- *Quam con-*
nim non miraretur intuens, vnam eandem- *traria hæc*
que turbam, eadem in Ciuitate Ieroſolymi- *agat turba*
tana, quatuor ſolis interiectis diebus adeo
mutatam fuiſſe, vt his omnino contraria a-
geret omnia? Hic enim ramos de arboribus 1.
cædunt, eoſque in triumpho coram Chriſto
& deferunt & iactant: illic cum fuſtibus &
gladiis tanquam ad latronem comprehen-
dendũ Ieſum occurrunt. Hic veſtimenta ſua 2.
ſibi detrahunt, & honoris cauſa ante pedes
aſellorum quibus Chriſtus inſidebat proii-
ciunt, illic veſtimenta ipſius Chriſti propria
milites fœde & crudeliter detrahunt. Hic 3.
cantant BENEDICTVS QVI VENIT *Deut. 21. 23*
IN NOMINE DOMINI; illic clamant,
*tolle, tolle crucifige eum*, Nunquid non legi-
ſtis ò Iudæi veſtrum olim ſcripſiſſe Moyſen
*Maledictus à Deo eſt qui pendet in ligno.* Quo-
modo ergo quem benedictum vocatis, pau-
lo poſt maledictum fieri deſideratis? Nem-
pe quia TVRBA eſtis, quia mari inſtabilio-
res eſtis, quia minimo vento lingue exagita-
ti & turbamini & turbatis. Denique hic
HOSA-

HOSANA FILIO DAVID decantatis, illic vero nequiter & blaſpheme clamatis *alios ſaluos fecit ſeipſum non poteſt ſaluum facere.* O quam ſunt iſta diuerſa, diſparia, oppoſita.

*Mat. 27. 42.*

*Doctrina inde.*

Itaq; iterũ iterumq; repeto hęc omnia ſimul tibi ponit ob oculos mater tua hodie, O plebs & TVRBA Chriſtiana, vt contemplando tantam rei turpitudinem, qua vix maior excogitari poteſt, reiecta inconſtantia conſtantiam ſecteris, profligata impietate, pietatem colas, repudiata rebellione ſalutaria amplectaris conſilia. Quid enim, an putas tam abſurda inter Chriſtianos non reperiri? Vtinam vero etiam tetriora, non inueniantur. Peiora inquam reſpectu noſtri. Iſtorum enim plurimi ex ignorantia peccabant teſtante D. Paulo, & dicente, *ſi enim cognouiſſent nunquam dominum gloriæ crucifixiſſent*, noſtrum vero quot apertis quod dicitur cadunt oculis? quot turbas cient & tam in his, quam in aliis *rurſum* crucifigunt *ſibimet ipſis filium Dei* teſte eodem Apoſtolo? An negatis? Aperiendi ſunt igitur vobis oculi: vt aut reſipiſcatis & viuatis quod cupio, aut quod nolim indurationis veſtræ iuſto Deo, iuſtas olim pœnas luatis, me vos coram tribunali altiſſimi accuſante. Ecce enim non tacui.

*Peiora nũc ſiunt*
*NOTA.*

*1. Cor. 2. 8.*

*Hebr. 6. 6.*

*Scopus.*

Vnde

*II. MEMBRVM.*
*Deſcriptio, diuiſio, autor.*

Vnde vero rem aggrediar? A diſtinctione, deſcriptione, & fundamentis, vt omnes ſapientes ſuadent. Diuerſa enim eſſe turbationum genera, ſi ignoras ſcias. Quas quidem poſſet quiſpiam vniuerſim in bonas & malas partiri, & typo facti hodierni comprobare, bonaſq; vocare eas, quæ in proceſſione, malas vero quæ in paſſione recenſentur: ſed impropriè ſanè id faceret. Quamuis enim turba & multitudo hominum, poſſit nonnunquam in bonam partem inclinari, ſicut hîc factum videmus, id tamen verè turbatio dici non debet. Verè inquã. Nam à ſceleſtis ſic dicitur. Ita olim ſceleratus Achab loquebatur ad Eliam. *Tune es ille qui conturbas Iſrael?* At bene illi reſpondit Elias. *Non ego turbaui Iſrael ſed tu, & domus patris tui.* O felix qui hæc diſcernere nouit. Sic dubitandum non eſt, actum hodiernum TVRBAE, Phariſæos vocaſſe turbationem nequiter & mendaciter. Vera enim & propriè dicta TVRBA, ſeu turbatio eſt, cum iniquè pax & tranquillitas concutitur & turbatur. Hunc enim verbum iſtud, cum primùm auditum fuerit in mentibus noſtris conceptum generat. Atque iſta ratione in hac noſtra concione ſemper accipietur, vt nihil aliud ſint TVRBAE, quàm multitudinis nequiter facta commotio. Vnde inprimis conſtat, notandũque eſt,

*Diuiſio vniuerſalis reiicitr.*

*Iudicium impiorum.*
*NOTA.*

*1. Reg. 18. 18.*

*Prima turbarum deſcriptio.*

*Altera.*

eſt, eiuſmodi turbationem ſemper eſſe contra Deum, qui cum ſit optimus, & ordinatus, odio habet omnem nequitiam & deordinationem maxime vero illam quæ multos inuoluit, & perdit. Eiuſmodi eſt iſta. Fit autem modis variis. Aliæ enim turbæ fiunt publice, aliæ priuatim, quędam intellectum, quædam cor petunt, aliæ conſcientiam tantum lædunt, aliæ ſtatus varios, imo Reſpub. regna, ipſaſque monarchias euertunt. Quæ omnia melius intelligentur, & in lucē prodibunt, cum autores modoſque procedendi, & exempla, tum ſcripturæ, tum quotidiana conſiderauerimus.

*Eſſe contra Deum.*

*Partitio vera.*

Primus itaque & ſupremus autor turbarum & turbinum iſtorum eſt ipſe Lucifer infernalis, qui variis ad id perficiendum vtitur mediis, tum perſonarum, tum modorū, tum aliarum circumſtantiarum. De quibus quamuis aliqua ante octiduum dixerimus, addenda ſunt tamen alia. Operæ precium autem me facturum arbitratus ſum, tum ad ordinem conſeruandum, tum ad rem melius capiendam, artes quibus hac in parte Sathan vtitur, tangere, & in ventos quoſdā diſtribuere. Neque vero omnes recenſebimus, cum ſint innumeræ, ipſo Deo teſte, qui dum Sathanam ſub figura *Behemoth & Leuiathan* deſcribens *gyrum dentium eius*, & ſquammarū ſe prementium meminit, fraudes

*Autor primarius Lucifer.*

*Artes eius & venti.*

*Iob. 41. 5.*

pes eius inexplicabiles notat : ſed eas tantū ponam, quas propoſito hodierno ſeruire animaduerto. Itaque Sathan artibus quibuſdam ſuis nequiſſimis & vniuerſaliſſimis mare hoc magnum TVRBAM inquam PLVRIMAM quaſi ventis quibuſdam propellit, agitat, turbat, & ſurſum ac deorſum mouet, & tum Deo ipſi: tum magiſtratui ab eo cōſtituto rebellem efficit. Facitque id, tūm per ſeipſum ſuoſque ſatellites apoſtaticos ſpiritus, interne quidem mala ſuggerendo, phātaſiam perturbando, paſſiones & maxime iram commouendo: externè vero occaſiones peccandi ſubminiſtrando, atque ita intellectum ad errores, voluntatem ad illicita pertrahendo: tum per inſtrumenta ſua homines ſceleſtiſſimos, quibus non ſatis eſt vt ſoli pereant, ſed conantur inſuper, conſiliis, ſuſurris, minis, promiſſis, conſpirationibus & aliis his ſimilibus modis quam plurimos ſecum in orcum pertrahere. Infœliciſſimum ſane genus hominum, Sathanę plane ad nutum. Quorum quamuis in aliis quoque nequitiis opera vtatur, in iis tamen quæ ad TVRBAM turbandam pertinent vtitur quam maxime. Et vt plurimum imo fere ſemper eligit vnum vel alterum quos capita talium machinationum facit. Exemplorum tam ab Ethnicis quam à Chriſtianis conſcriptorum infinitus eſt numerus, verū

*Socii, tum inuiſibiles.*

*Tum viſibiles.*

*Caput cæterorum.*

nos aliquot tantum euenta in ſcriptura ſacra notata adducemus, indeque tum artes quibus vti conſueuerunt, tum clades quæ conſecutæ ſunt pandemus. Ordiemur autem ab internis, indeq; ad externas rebelliones deueniemus.

*III. MEMBRVM Venti ſeu turbines.*

Itaque primus ventus & turbo quo PLVRIMA TVRBA à Sathana turbatur, caput petit, & intellectum cum primis obnubilat, lædit, euertit. Qui quidem ventus quamuis ſit generaliſſimus, & in omnibus pene aliis locum habeat turbinibus, peculiari tamen ratione ſeruit infidelitati & perfidiæ. Quia ſicut fides ita & perfidia in intellectu ſint neceſſe eſt. Infidelitas vero ex falſa procreatur doctrina. Venti huius & quod ſuſpiciendum magis, ſub hoc ipſo titulo, meminit Paulus Apoſtolus, monens nos, vt non *circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum*, quorum nunc infinitus eſt numerus. Magnus & peſſimus turbo, quo ipſe Lucifer in perſona ſua vſus in ipſo mundi exordio, in vna perſona turbauit totum genus hominum. Eo enim euertit caput primæ noſtræ parentis, quam decepit. Decipere autem huius turbinis proprium eſt. Qua de re D. Paulus inquit. *Serpens Heuam ſeduxit aſtutia ſua.* Quomodo autem illam ſeduxerit dicam inferius. Porro non Euam

*PRIMVS Caput petit.*

*Eph. 4. 14. A D. Paulo notatus.*

*Hoc turbata Eua.*

*Gen. 3. 4.*

*2. Cor. 11. 3.*

uam ſolum, ſed poſt modum TVRBAM *Idololatræ.*
innumeram hominum, hoc turbine turbauit, & ad Idololatriam pepulit. Neque *Iudæi in deſerto.*
iis contentus irruit eodem vento in gentem à Deo electam, & ita illam proſtrauit, vt relicto imo reiecto Deo vero, faceret ſibi *vitulum conflatilem* aureum, cui *Exod. 32. 2.*
tum eductionem ex Ægypto adſcribere, tum honorem diuinum tribuere verita non eſt. O nefanda impietas, & extrema ſtultitia. Is ne te eduxit ex Ægypto, *Stultiſſime.*
qui cum inde educereris nondum in rerum natura fuit? Sed & Apis Idolum Ægyptiorum cuius tu typum effinxiſſe hic videris, quo te educere potuit, qui ſuos Ægyptios à tot plagis propter te ipſi illatis liberare nequiuit? Occaſionẽ autem dedit huius turpiſſimæ Idololatriæ conſpiratio (vno vel altero ſine dubio duce) *aduerſus Aaron*, cui dixerunt. *Surge fac nobis Deos qui nos præcedant: Moyſi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit.* Tempus me deficeret, ſi omnia exẽpla ſacræ ſcripturæ, in quibus vis huius venti, in TVRBA Iudaica toties apparuit, in medium adferre vellẽ. Proinde illis omiſſis, vnum ex nouo teſtamento adduco. Turbinem nequã ſectæ *Nicolaitarum*, quã D. Ioannes inſectatur. Iſta quãuis in eo quod huius venti eſt propriũ, *Nicolaitæ.*
cum omni alia incredulitate conueniebat,

quia caput & intellectum læſum habebat, in modo tamen diſſentiebat, quia tota in ſpurcitia & carnalitate immerſa fuit. Quid vero dicã de noſtris temporibus? O TVRBA quæ Chriſtiano gaudes nomine, quot millia ventus iſte ſcabioſus, qui teſte Paulo Apoſtolo *prurientes auribus* reddit homines, turbauit, & ſublatos è medio ad tartara detruſit? Me tacente loquuntur tot per varias hæreſes animarum proſtrata cadauera. Verum contra hæreticos alius vt ſcitis locus eſt agendi. Idcirco in hac concione modos tantum quibus ſeducunt deſcribemus inferius, vt ſciant Catholici mei quomodo eos cauere debeant. Iam vero alios ventos proſequamur.

*Noſtri temporis hæretici.*

*2.Tim.3.4.*

Secundus igitur diaboli vẽtus, quo TVRBAM turbat, cor petit. Sicut enim priori fidem veram ex intellectu, ita hoc charitatem è corde tollit, qua ablata naufragium animarum neceſſario conſequitur. Id vero quamuis fiat per quoduis peccatũ mortale: nos tamen iuxta promiſſa, ea tantum tangemus, quibus gentem aut nationem aliquam, vel etiam plures inficit. Mille enim eſt artifex diabolus vt noſtis, idcirco quamuis vbique omnia, & ſingula ſcelerum genera in certis diſſeminet perſonis iuxta cuiuſuis priuati hominis diſpoſitiones: tamen generatim etiam nationes integras, aliqua

*SECVNDVS cor lædit.*

*Peccata generalia nationum.*

qua

qua noxa peculiari ita inficere conſueuit, vt vix in illis partibus pro peccatis reputentur. Eiuſmodi generaliſſimum & omnibus quas ex conuerſatione noui nationibus commune vitium eſt, frequens dæmonis, Sathanæ, vel diaboli nominatio: quod maxime in TVRBA & plebe promiſcua viget, ita vt crediderim PLVRIMAM Chriſtianorum TVRBAM pluries vna die Sathanæ, quam decem, vel etiam pluribus diebus Dei vel Chriſti Ieſu mentionem facere. Quid? putatisne id abſque peccato fieri? O ſi aperirentur oculi noſtri ſicut olim aperti erant oculi Giezi ad preces Eliſæi, prophetæ, vt videre poſſemus, quanto cum iubilo dæmon excipiat tam frequentem ſui in ore Chriſtianorum memoriam; obſtupeſceremus vt arbitror vehementer. Inimicum autem Dei & animarum noſtrarum dæmonem, lætitia afficere, quis dicet culpa carere? Non diſſero nunc quæ culpa ſit mortalisne an venialis, id enim confeſſariorum eſt proprium, illud dico vereri me plurimum frequentius eſſe peccatum mortiferum, quam paſſim pro tali reputatur, prout fit, in maledictionibus, in improperiis, in pernicioſis mendaciis, & cæteris eiuſmodi. Demus ſimul remedium. Et illud quidem comm une & bonum, pœnam aliquã ſtatuere pro quauis nominatione fide-

*1. Vniuerſaliſſimum nominatio dæmonis.*

*Quid ſit id peccati.*

*4. Reg. 6. 17.*

*Remedia duo.*

liter explendam. At nec hoc forte contemnẽdum ſubſtituere aliquod verbũ, vel indifferẽs vel bonum, loco iſtius quod toties nominatur verbi diabolus. Hac enim ratione quaſi clauus clauo pelletur, quando à ſenioribus & maioribus, liberi, ſerui, famuli, ancillæ, diſcipuli, hiſq; ſimiles audientes, eodẽ vti incipient, eaq; ratione ſaltem non male loqui aſſueſcent. Vidimus id aliquando non infructuoſe vſurpari.

*2. Ebrietas.* Ad peculiaria magis venio, ac à noſtra nobiſq; vicina gẽte incipio, quas vitio ebrietatis in anima (ſæpe ẽt in corpore) ita proſtratas iacere conſpicimus, vt haud pauci laudi id ſibi ducant, quod non ſolum coram Deo & angelis eius, ſed ẽt apud alias nationes maximi eſt vituperii. Fatẽdum quidem eſt, videri mihi malum hoc in grauioribus perſonis aliquantulum hic remiſiſſe, ab illo feruore, quem pueri vel iuuenes conſpiciebamus: atque vtinam & in TVRBA & in aliis ceſſet penitus, & ad Tartaros aut Garamantas ablegetur, vel potius ex toto terrarum orbe explodatur. Date operam rogo quantum in vobis eſt, vt id mali extirpetur ſimul cum aliis præſertim deordinationib. & detractionibus, quæ certe in dies ſingulos magis magiſq; inundant. At inquis ſunt & aliæ gentes maiorib. ẽt quam his obſtrictę vitiis. Quid inde? Num tu propterea liber à cul-

*3. Detractio* *Calua excuſatio.*

culpa eris? Minime vero. Proinde quod dico, omnibus dico, emendatione opus eſſe. Noui ſane & ex ſcriptura & experientia notari aliarum quoq; gentium peccata. Certe ipſe Apoſtolus Paulus, facit hoc tam Cretéſib. Græcis, quam ipſis Romanis (non igitur quiſquã miretur nos tãto duce idem agere) nec modica, nec leuia exprobrando illis vitia, quæ vtinam vel nunc ibidem non vigeãt. Experientia vero & auditu ipſo didici multa blaſphemiarum genera, quæ cumprimũ ante quadraginta annos in Italiam veniſſem, ita impleuerunt aures meas, vt cum maximo horrore perciperentur. Imo hoc quoque notaui, ſingulas pene prouincias ſingularem blaſphemiam ſemper in ore habere, vt ſicut olim Ephratæi in pronunciatione Sibboleth pro Schibboleth, à Galaaditis (ſimile quid in noſtris hiſtoriis legimus) dignoſcebantur: ita nunc ex ipſa blaſphemandi forma cuius quis ſit prouinciæ facile agnoſcas. O nequiſſimum veteratorem diabolum, qui tam varias TVRBAS variis proſternit ventis, & demẽtat rationibus. Noſcite & fugite artes ipſius dilectiſſimi. Qui inquis effugiemus? vel quæ remedia adhibebimus? Multa eſſent dicenda, ſed nec libet pauca. Quid enim aliud in omnibus noſtris concionibus facimus, quam pro Euangelii cõmoditate

*Tit. 1. 12. Rom. 1. 24. D. Paulus idem facit quod nos.*

*4. Blaſphemia.*

*Iud. 12. 6. Varia.*

*Remedia.*

tate morbos aperire, iiſque medicinam adhibere ſtudemus? Faxit Ieſus vt ſuccedat feliciter. Certe contra ebrietatem & detractionem, multa in multis audiuiſtis concionibus, & audire adhuc debetis. Contra blaſphemiam id inculco, quod contra nominationem dæmonis dixi. Cum enim vtrumque vitium ſit linguæ, eadem admittit remedia. Hiſtoriam addo de quodam viro prædiuite qui ab hoc vitio cui multum aſſueuerat ſerio liberari cupiens, primum quidem minus, poſtea vero plus, ac tandem pro ſingulis blaſphemiis, quas incautus euomebat, cautus quinque vel ſex aureos pauperibus numerabat. Eaq; ratione ingenti pecunię expoſita ſumma, per crumenæ ad conſcientiæ alleuiationem felix peruenit. Vtinam vero multos imitatores, tam in hoc quam in aliis vitiis eradicandis habeat.

*Contra blaſphemiam.* *Exemplũ.* *NOTA.*

Huc vſq; recenſuimus ventorum turbines quibus PLVRIMA TVRBA à Sathana turbatur, & contra ipſum Deum incitatur: iam conſiderandi ſunt, qui ſunt cõtra Deos. Quid blaſphemas inqs, nõne Deus vnus eſt? Abſit verbo blaſphemia. Scio vnũ eſſe Deũ creatorẽ & conſeruatorẽ omnium: ſed neq; illud me latet magiſtratus & iudices, quos Deus loco ſui hic cõſtituit ab ipſomet Deo Deos nuncupari, cum obſcurius tum clariſſi.ne

*Alii Venti contra Deos id eſt magiſtratum.*

riſſimè quãdo dicitur, *Dominus domus applicabitur ad Deos*, id eſt, ſiſtetur magiſtratui & iudicibus. Auditiſne ô Iudices? auditiſne ô ſubditi! Audite quæſo omnes, & capiti veſtro firmiter imprimite, vt & vos iudices ſancti ſitis, ſicut Deus cuius locum tenetis ſanctus eſt, & vos ſubditi ſciatis, qualem illis honorem & obedientiam exhibere debeatis, & quam grauiter id negligendo peccetis. Quanto vero magis, quando turbas cõtra illos cietis? Quas antequam videamus notandum eſt, ventos & turbines illos quos primo loco poſuimus afficere quidem etiã magiſtratum, ſed mediante Deo, in his vero quos recenſere volumus contrarium. Perfidia enim immediatè eſt contra Deum, cuius primum quaſi iugulum petit, cum dictis illius fidem adhibere non vult, inde tamen poſtea, contra magiſtratum primum quidem Eccleſiaſticum, poſtea vero ſecularem aſſurgit. Iſte eſt venti illius peſſimi triplex gradus. Porro in hoc alio turbine, primum locum habet odium magiſtratus, indeque ſequitur contemptus Dei, qui talem magiſtratum conſtituit. Sicut autem magiſtratus duplex eſt, ſuperior qui animam, inferior qui corpora, & quæ ad illa pertinent facultates regit ac gubernat: ita venti iſti duplices ſunt, quibus PLVRIMA TVRBA turbatur. Prior inſurgit contra magiſtra-

*Exod. 22.8.*

*Differentia inter hos & priores.*

*Iſti ſunt duplices.*

tum Eccleſiaſticum, poſterior contra ciuilem. Demus ſingulorum ex ſcriptura exempla.

*TERTIVS turbo magiſtratum petit Eccleſiaſticum. Num. 16. 1. Ibid. v. 32.*

Tertius itaque Turbo, quo TVRBA à Sathana turbatur eſt contra magiſtratum ſpiritualem, cuius euidens eſt exemplum, in *Core Dathan & Abiron.* quibus ducibus, diabolus excitauit ventum validum, turpemque conſpirationem, *aduerſus Moyſen & Aaron.* à Deo conſtitutos magiſtratus. Quî ſic illa die compeſcuit ipſe Deus. Etenim *dirupta eſt terra ſub pedibus eorum: & aperiens os ſuum deuorauit illos cum tabernaculis ſuis, & vniuerſa ſubſtantia eorum, deſcenderuntque viui in infernum operti humo*: Iſta fecit Deus vni illorum parti, quid vero alteri? Subnectit ſcriptura. *Sed & ignis egreſſus à Domino interfecit Ducentos quinquaginta viros qui offerebant incenſum.* Cæterum antequam modum quo hæc peracta fuere explicem, & imitatores iſtorum prodam; alterum ventum qui cum hoc communia multa habet præmittam.

*Exemplum & pœna terribilis.*

*Ibid. v. 35.*

*QVARTVS cõtra magiſtratũ Ciuilem. 2. Reg. 15. 16. Exemplum in Abſalon.*

Poſtremus igitur ventus dæmonis eſt, quem contra magiſtratum Ciuilem excitat. Eius perfectam Ideam & effigiem habes in Abſolone, per quem ſceleratiſſimum filium Sathan, innumeram TVRBAM hominum incitauit, contra Dauidem ter legitime in regem vnctum, eoque rem perduxit,

xit, vt Dauid *pedibus ſuis.* ambulans fugeret è Ciuitate coram facie Abſolonis. Verum nō diu ſcelus hoc inultum tulit Deus. Nam & Achitophel è cuius conſiliis pendebat Abſalon (quamuis tum à Deo turbata ea fuerint) ſtatim laqueo vitam ſibi ademit, & paulo poſt ipſe Abſalon victus ab exercitu patris, dum fuga ſibi conſuleret ingreſſo mulo cui inſidebat *ſubter condenſam quercum & magnam*, in quercu illa coma ſuſpenſus remanſit, ac à Iob duce exercitus Dauid, tribus lanceis tranſuerberatus occubuit. Iſtud tum nequiſſimo conſiliario, tum rebelli filio præmium iuſto Dei iudicio debebatur, præter alia in alia vita.

*2. Reg. 17. 23.*

*2. Reg. 18. 9*

Hæc de quatuor ventis, quibus PLVRIMA, imo innumera TVRBA à Sathana & adiutoribus eius turbatur, dicta ſufficiant. Iam vero modos & flabra ſeu flabella quædam quibus venti iſti excitantur videamus: nec vero omnia, ſed ea tantum quæ in recitatis hiſtoriis reperiuntur, quæ etiam ad praxim noſtrorum temporum reducere conabimur. Primum itaque & primarium eſt Sathanæ conſiliū, reperire caput aliquot ſuperbum, tumidum, honoris cupidum, ſuo iudicio pertinaciter, & maliciosè addictum ac inquietum, quodque multos poſt ſe trahere queat. Tale cum Sathan repererit, implet

*IV. MEM. Flabra.*

*PRIMVM & generale, & caput cæterorum mendacium &c. NOTA.*

Rom. 16. 18. impletillud mendaciis, fraudibus, ſuauelo-
quiis, vel vt dicit D. Paulus, ducibus ſermo-
nibus, inprimis vero hypocriſi, & pollicita-
tionibus, quibus miſeræ TVRBÆ imponit
miſerabiliter. Hæc ita ſe habere habemus &
experientia, & exemplis in ſcriptura notatis,
& ipſius dæmonis confeſſione firmata. Sa-
3. Reg. 22. 20. than enim interroganti Deo. *Quis decipiet
Achab?* reſpondit, *Ego decipiam illum*, mo-
dumque quo id faciat ediſſerit inquiens. *E-
grediar & ero ſpiritus mendax in ore omnium
prophetarum eius*, Quod & perfecit Deo per-
*Exemplum Sedeciæ.* mittente. Qua vero ratione? Modus is fuit.
Inuenit & elegit ſibi caput ſuperbum & ne-
quam Sedeciam nomine, qui habebat ſecũ,
*quadringentos circiter viros*, (bonam vt vides
hominum turbam) feceratq; ſibi *cornua fer-
rea* quibus ventilaturum Achab Syriam mẽ-
*Ibid. v. 24.* tiebatur. Cui cũ *Micheas* verus Dei Propheta
reſtitiſſet, *acceſſit Sedecias, & percuſſit Michæã
in maxillã, & dixit: Mene igitur dimiſit ſpiritus,
Domini & locutus eſt tibi?* Audis verba, vides
facta tumoris & crudelitatis plena? Id ipſum
in Core; Dathan, Abiron, Abſolone, & cæ-
teris omnibus eiuſdem formæ hominibus
*Item cæterorum.* inuenies. Semper enim Sathan inuenit ſibi
aliquem veteranum malitia, qui flabella iſta
ad TVRBAM, concitandam & turbandam
fortiter concutere queat, ſemperque eximiis
vtitur mendaciis. Quod nonne noſtris quo-
que

que videmus temporibus; tam in hæreticis, quam in pſeudopoliticis? Tam clarè ſanè, vt vix quicquam euidentius eſſe poſſit, cum tot euomant mendacia, tot crudelitatis edãt indicia, quot vix iam numerari queant; imo ex profeſſo quidam eorum mentiendi tradunt regulas. Adhuc ne aut tam excæcati erimus, vt fraudes dæmonis non agnoſcamus, aut tam indurati vt agnitas reſpuere nolimus? O gens Chriſtiana ad quantam dementiam hæc impoſtura te induxit, vtinã non ſero ſed nunc agnoſcere velis. Quod vt fiat ad particularia quæ magis rem illuſtrant, deſcendere, eaque ex hiſtoriis recitatis colligere inſtitui, ſi forte hac ratione oculos tuos aperire, & craſſas dæmonis fraudes, quas tum per ſe ipſum, tum per inſtrumenta ſua exercet, & cognoſcere, & deponere velis. Perficiat id Chriſtus Ieſus in te per miſericordiam ſuam infinitam.

*Quid noſtris temporibus.*

*Ad ſingularia ſit tranſitio. Itaq; flabrum*

Singulare itaque flabellum quo venti iſti concutiuntur & excitantur, quibus TVRBA PLVRIMA perturbatur & excæcatur ſit illud quo ipſe Lucifer in perſona ſua (ſub ſpecie tamen ſerpentis) vti voluit, vt primam humani generis plantam proſterneret. Verbum inquam illud NEQVAQVAM, quod licet in ſcriptura aliquando ſumatur in bonam partem, ſæpius tamen in malam, & tam olim quam nunc peſſima quæque operatur.

*SECVNDVM eſt verbum Nequaquã.*

*Nequaquam*

*Gen. 3. 5.* *Hoc Eua ſeducta.*

*Nequaquam morte moriemini*, dixerat olim iſe ad Euam, quo verbo & mendacium impingit Deo, quaſi is mendaciter dixiſſet, Adam & Euam morituros, & ipſe Lucifer mentitur, & miſeram ſeducit, Euam, ipſi credulam, Deo incredulam. Eodem etiam poſtea omni ætate vſus eſt per inſtrumenta ſua. Nunc vero maximè. Quis enim dicet nobis quot ſunt hominum myriades, quas nequam iſte ſuo nequaquam; nequam efficit? Quid enim hoc præſertim tempore eſt frequentius in ore hæreſiarcharum & hæreticorum, quam verbum iſtud? vt vel ex eo ſolo agnoſcas cuius iſti ſint famuli. Nequaquam eſt Trinitas in diuinis; Nequaquam verbum caro factũ eſt, nequaquam virgo peperit, aiunt Anabaptiſtæ Nequaquam Chriſtus eſt in Sacramento Euchariſtiæ, nequaquã imagines ſunt in templis collocãdæ, dicunt Caluiniani. Nequaquam eſt purgatorium, nequaquã ſunt ſancti inuocandi, inquiunt Lutherani, & cæteri omnes. Et ſexcẽta alia eiuſmodi. Et vero flabellum hoc tam eſt vniuerſale, vt & cæteros omnes ventos excitet. Nequaquam aiunt illi qui alteri vento ſunt obnoxij poteſt hoc dici peccatum, quod tam paſſim fit ab omnibus, nequaquam propter rem tam leuem, vt eſt ebrietas & cætera eiuſmodi, Deus adeo offenditur, vt noſtri concionatores

*Eius nunc vſus frequẽtiſſimus apud hæreticos.*

*Item in alijs ventis omnibus.*

res exaggerant. At meminiſſe vos oportuit, haud magnam ( vt veſtro loquar modo) rem fuiſſe morſum pomi vetiti, quod tamen quantopere Deum offenderit ſcitis & ſentitis. Item alij. Nequaquam iſti Eccleſiaſtici debent nos gubernare, vel iudicare, nequaquam debent tot bona poſſidere, nequaquam à iudicio & poteſtate Ciuili ſunt eximendi. Denique poſtremi, nequaquam ſatis cõſulitur libertati noſtræ, nequaquam bonus eſt iſte ſtatus Reipublicæ, & ſimilia quæ noſtis, quam ſint & frequentia & nociua.

Tertium TVRBAM turbandi, & motus excitandi flabellum animaduertiſtis, in verbis Iudæorum, quando in turpiſſimam illam Idololatriam in deſerto prolapſi ſunt. Cuius ſtultitiæ & impietatis vix aliam cauſam inuenies, quam contemptum magiſtratus & ſuperiorum. Audiſtis enim quam contemptim, de tanto duce, ductore, & benefactore ſuo quantus fuit Moyſes locuti fuerint *Ignoramus* inquiunt iſti *quid acciderit ei*. Pari ratione noſtri hæretici, *Ignoramus* aiunt *quid acciderit*, tot Concilijs, tot Pontificibus, tot ſanctis Patribus Græcis, & Latinis, quod tot nęuos in ſuis ſcriptis reliquerint, quod tam fœdè circa articulos fidei hallucinati fuerint, quod Idololatriam in imaginibus, in inuocatione Sancto-

*TERTIVM contemptus ſuperiorum.*

*Exempla Iudæorum. Exod. 32.3.*

*Hæreticorũ.*

Sanctorũ, & alijs modis promouerint, hisq́; ſimilia multa. Similiter politici, *Ignoramus* aiunt *quid acciderit* maioribus noſtris, quod ſtatum Eccleſiaſticum tanti fecerint, quod ad gubernandam Rempub. eos admiſerint, quod primum locum in ſenatu dederint, ꝙ tot redditibus dotârint. Poſtremi poſtremo aiunt *Ignoramus quid acciderit* huic magiſtratui, quod ita ſe gerat, quod ſic loquatur, quod curam noſtri non habeat. Concluſio vero omnium eſt. ERGO non obediatur illis &c.

*Politicorũ.*

*QVARTVM Carnalitas.*

Quartum flabrum ex deſiderijs carnis conflatum eſt. Validum ſanè & magnus eius vſus, tum in primo, tum in alijs ventorum generibus. Hoc PLVRIMA TVRBA Iudæorum olim proſtrata in deſerto, cadauera ibi reliquerunt ſua; tum ſuſpirantes ad ollas Ægyptiacas: tum murmurantes contra panem è cœlo miſſum. Hoc in primitiua Eccleſia ipſis Apoſtolorum temporibus à Nicolaitis exorti, poſtea vero multas vt fit in ſectas diſſecti hæretici, innumeras TVRBAS hominum ad orcum protruſerunt. Hoc flabrum & noſtris temporibus agitatur validè: tam ab hæreticis (qui quo plus progrediuntur eo perfectiores ſunt hac in parte) quam ab aliis. Quid enim primum quidem vicinos noſtros, deinde vero noſtratium & aliarum gentium non paucos ad perfidiam Lutheranam

*Exempla. Iudæorum.*

*Exod. 16. 3.*
*Num. 22. 5*
*Nicolaitarum.*

*Lutheranorum.*

nam tranſire fecit? Magna ex parte ieiuniorum fuga, appetẽria vero tum ciborum, tum vxorum, hoc pro ſacerdotibus, illud pro omnibus. Non ne ita ſe rem habere oculis conſpeximus noſtris? Quid alios caſtra Caluiniana ſequi fecit? Artes eædem, argutiis quibuſdam & ſermonum inuolucris ornatæ. Iiſdem vſus eſt Ochinus quando pluralitatem vxorum conceſſit. Hoc flabello exagitati exacti CacoEuangelici, quidam inquam Anabaptiſtarum, in omnibus Nicolaitarum ſcita approbantes, fœminis promiſcuè vtuntur. Quid dicam de cæteris? Nihil aliud quam magnam rebellium magiſtratui partem ex inopia rei familiaris, copia vero otij, luxus, & luxuriæ ortum habere: nempe vt honeſto ſicut iſti iactant, vt vero res ſe habet, nequiſſimo prætextu, impunè illis liceat, quod libeat, rapinas, furta, deprædationes templorum & domorum expilationes, adulteria, cædes, & his ſimilia exercere ac patrare.

*Caluinianorum.*

*Ochini.*

*Anabapiſtarum.*

*Scopus rebellium.*

Cæterum vt hæc clareſcant magis, magisque, placuit artes iſtorum, qui magiſtratui ſunt rebelles in tria flabra partiri, quibus auram iſtam peſtilentem excitant, qua PLVRIMAM hominum TVRBAM inficiunt crudeliter. Flabellorum iſtorum primum quidem initium, alterum progreſ-

*NOTA. Rebellium magiſtratus tria flabra. Sic ſgitur.*

Cc ſum,

ſum, tertium finem ſeu ſcopum ſeditionum ex hiſtorijs quas attulimus demonſtrabit. Singula vero illorum plures artes continebunt. Audite quæſo auribus & ſtatum nouæ politiæ ad amuſſim intelligetis. Itaque initium eſt ſollicitare populum & incitare TVRBAM aduerſus magiſtratum, plauſibilibus quibuſdam argumentis, Progreſſus vero ſuperioribus vitia quædam imputare, quæ aut non ſunt in rerum natura, ſed mendaciter confinguntur; aut ſunt talia quæ minus à rebellibus, quam ab iis quorum id intereſt emendabuntur. Videre id licet, tum in Core cum ſociis, qui Eccleſiaſtico propriè (quamuis Moyſes etiam Ciuilem geſſerit) tum in Abſalon qui Ciuili reſtitit magiſtratui. Illorum verba ſunt ad *Moyſen & Aaron, ſufficiat vobis quia omnis multitudo ſanctorum eſt, & in ipſis eſt Dominus.* Omnes inquiunt iſti, ſumus ſancti, omnes æquales, in omnibus Deus eſt. Nonne paucis immutatis, eadem tum ab hæreticis: tum à pſeudopoliticis quotidie audimus? Quid vero contra Ciuilem magiſtratum? Similia. Omnes ſumus liberi, omnes æquales, Cur iſte vel iſti ſe efferunt? & his etiam quæ noſtis abſurdiora. Curro.

*QVINTVM Quo vtuntur in initio*

*Num. 16. 3.*

Hoc igitur plerumque rebellionis eſt exordium. Quis vero progreſſus? Is quem dixi, ſe ipſos magnificare, ac Zelatores boni publici

*SEXTVM Quo in progreſſu.*

publici conſtituere, magiſtratum vero deprimere, ac in odium inducere, vitiaque quibus ipſi pleni ſunt ſuperioribus impingere. Cernitis artes? Capite ex vtriſque exempla. Pergunt enim Core & ſocij Moyſi & Aaron dicere. *Cur eleuamini ſuper populum Domini?* O mendaces, ô ſcelerati! Non Moyſes & Aaron eleuant ſe, ſed Deus ipſe eleuauit eos, & elegit, & præfecit eos populo ſuo. Vos vero etiam ſupra illos quos Deus ſuperiores fecit, voſmetipſos eleuatis nequiter. Vultis plura pro Moyſe teſtimonia? Sit illud quod adeo contenderit cum Deo ne illum ſuperiorem faceret, vt ad extremum *iratus* illi fuerit hoc nomine *Dominus*. *Exod. 4.13.* Alibi vero dicitur. *Num. 12.3.* *Erat enim Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines qui morabantur in terra.* Denique ipſe in hac ſeditione Core ſic alloquitur Deum. *Num. 16.15* *Tu ſcis quod nec aſellum quidem vnquam acceperim ab eis.* Magna ſanè Principis virtus, eximia gloriatio. Nihilominus ſceleſti iſti homines audent talia loqui contra virum eiuſmodi. O vtinam imitatores inter Chriſtianos non habeant! Quid vero Abſalon? Alia vſus arte. Is enim *2. Reg. 15.3.* ſingulis ad iudicium aduentantibus dicebat. *Videntur mihi ſermones tui boni & iuſti, ſed non eſt qui audiat conſtitutus à Rege.*

Et ſubiungebat. *Quis me conſtituat iudicem?* Tu nebulo, tu fratricida: tu animo parricida melius iudicabis, quâm ſanctus pater tuus Dauid Propheta Dei?

*SEPTIMUM Quo in fine*

Scopus autem & finis vtriuſque fuit, primum quidem ſeditio & TVRBÆ contra legitimos ſuperiores commotio. Mendaciis enim ſuis ita Abſalon *ſollicitabat corda virorum Iſrael*, vt omnes illum ſequerentur. Idem de Core ex ſequentibus colliges. Deinde vltimus ſcopus eſt aperta rebellio, & obedientiæ renunciatio, ac ſtatus mutatio. Proinde cum Core, Dathan, & Abiron vocati eſſent, vt venirent ad Moyſen, reſponderunt, *Non venimus*, &c. *an & oculos noſtros vis eruere? non venimus.* Abſalon vero aliquid amplius præſtitit. Nam militem conſcripſit, contra patrem, ex Ciuitate expulit patrem, defœdauit thorum patris, & alia nefanda. Non exaggero vt videtis, non explico, nec applico, ſed tango, nec vrgeo. Vos vrgete conſcientias veſtras, & recte iudicate, an digni ſint, tum homines iſti nequiſſimi vt eos ſectemini: tum modi ſceleſtiſſimi, vt illos imitemini.

*2. Reg. 16. 22.*

*V. MEM. Remedia.*

Quid ergo eſt remedij? Vtinam vero ſerio & ſyncerè id quæratis! Mirum enim, imo ſtupendum omnino eſt, quam magnas in animis TVRBÆ hoc malum radices

dices agat. Vultis id ex ſcriptura videre? *Primum*
Audite & vna mecum obſtupeſcite. Poſt *conſidera-*
cladem illam tot millium hominum qui ab- *tio mali in-*
ſorpti à terra, viui in infernum deſcende- *uiſcerati.*
runt, vt audiſtis. Quid factum eſt? Num *NOTA.*
cohibita TVRBA tam horrendo terribi-
li, & ſæculo inaudito, ſpectaculo, & ſup-
plicio quod oculis intuebatur ſuis? Mini-
mè vero. Nam poſtridie iterum TVRBA *Exemplum*
turbatur, iterum contra ſuperiores exur- *horrẽdum.*
git. Ait enim ſcriptura. *Murmurauit au-* *Num. 16. 41*
*tem omnis multitudo filiorum Iſrael ſequenti die contra Moyſen, & Aaron dicentes. Vos interfeciſtis populum Domini. Cumque oriretur ſeditio, & tumultus increſceret, Moyſes & Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis.* Nonne audis mirabilia? Quomodo mentiuntur, quomodo iterum ſeditiones excitant, quomodo tantis plagis ab ipſo Domino immiſſis (non enim Moyſes & Aaron diſrumpere terram poterant) non mouentur, quomodo omnia in malum conuertunt, quam hoſtiliter inſtant, vt ni Moyſes & Aaron ad Deum confugiſſent, interempti fuiſſent. Sed nunquid inultum id paſſus eſt Deus? Minimè. Statim enim egreſſus ignis ex ta- *Secundum*
bernaculo fœderis percuſſit & combuſſit, *conſidera-*
*quatuordecim millia hominum, & ſeptingen-* *tio pœnarũ.*
*tos abſque his qui perierant in ſeditione Core,* *Ibid. 50. 49*
multoque plures periiſſent, niſi Moyſes

 pro-

*NOTA.* proſtratus in terra preces, & *Aaron ſtans inter mortuos & viuentes thymiama* obtuliſſet. & tamen apud TVRBAM iſti mali, qui plagas auertunt, illi boni qui illas accerſunt. O cæcitas inaudita! O malum in imis viſceribus hærens, & radicatum, quod ne talibus quidem plagis ſedari poteſt. Quis hæc audiens non perhorreſcat? Facite obſecro, & recordamini, eſſe Deum in cœlo, qui ſicut iſtos ita vos punire poteſt, & faciet ni reſipiſcatis, tanto acrius, quanto culpa in iis qui Chriſti fide ſunt illuminati eſt grauior. Scriptum eſt enim *pro menſura peccati erit, & plagarum modus;* quæ ſi non in hac, in illa vita certo obuenient. Id igitur ſit primum remedium, imo tria ſimul, conſideratio, videlicet tum ſtatus huius miſerrimi: tum pœnarum crudeliſſimarum, indeque *Timor Domini*, qui *eſt initium ſapientiæ.* Porro addes alia duo, nempe cautelam & pœnitentiam.

*TERTIVM Timor ſanctus*

*Deut. 25. 3.*

*Eccl. 1. 16.*

*QVARTVM Fuga conſortij malorum.* Cautela hæc ſit ſalutaris & perneceſſaria, vt totis viribus & neruis fugiatis malorum conſortium. Iſti enim ſunt qui hæc flabella mouent, iſti cauſa totius mali. Nonne id in hac turba cuius tum in Euangelio tum in paſſione, quam audiſtis fit mentio euidens eſt? Ita ſanè. Quis enim

nim eam ab iſtis quæ Chriſto hodie exhibuit, ſanctiſſimis exercitiis abduxit? Nemo præter principes ſacerdotum, & phariſæos, quorum conſortio neglecto Chriſto ſe adiunxerant. Quibus vero modis id perfecerunt phariſæi? Non aliis quam iis quos iam recenſuimus, quibus tanquam flabris ventum iſtum peſtilentem cõmouerunt. Quomodo? Tum verbo NEQVAQVAM: tum verbo IGNORAMVS. tum aliis. Hoc ex ore illorum auditis vociferantium. *Hunc autem neſcimus vnde ſit.* Quid vero aliud clamant omnes eorum concertationes, & plebis ſeductiones quam NEQVAQVAM? Nequaquam aiunt iſti, hic eſt Meſſias, quid eum ſequimini? Nequaquam verum dicit, ſed *inſanit, quid eum auditis*? Nequaquam à Deo miſſus eſt, ſed dæmonium habet, & in *Beelzebub principe dæmoniorum*, omnia ſua peragit, proinde capite, tollite, crucifigite, occidite eum, Quis dubitare poteſt, cum hæc in ſcriptura videat, has fuiſſe iſtorum voces peſſimas, quibus miſeram plebeculam tranſuerſum ab hodierno facto egerunt, & ad illa quæ dum paſſio legeretur, audiſtis impulerunt? Itaque dilectiſſimi mei moneo, rogo, obſecro, & per ſalutem veſtram vos obteſtor, vt quotieſcunque à quocunque hominum hæc quæ recenſuimus: tum nequaquam: tum con-

*Hoc enim turbam iſtam peruertit.*

*Ioan. 9. 29.*

*Ioan. 10. 20.*

*Luc. 11. 15.*

*Igitur caueſtatim.*

temptum ſuperiorum : tum mendacia:tum opera carnis, tum conſpirationes, cum cætera quæ attulimus moueri videritis, vel audiueritis, toties certo vobis perſuadeatis ventilabra Sathanæ agitari, ac ventos excitari, quibus PLVRIMA TVRBA quieta, Deo deuota, Chriſto morigera ( qualem in proceſſione præſentatam vidiſtis ) à ſuo ſtatu dimoueatur, & ad nequiſſima quæque impellatur. Quare perhorreſcite, audire nolite, ſed fugite, & ſi poteſtis impedite, ne tantis, quanta in prolatis exemplis vidiſtis inuoluamini malis, quæ vos & cæcos, & induratos, & obſtinatiſſimos reddant.

*Obiectio ſeu excuſatio.* Dicet fortaſſis quiſpiam veſtrum, quomodo non ſunt audiendi, cum videantur valde ad rem loqui, ac pulchra, concinna, iucunda, ac vtilia in medium proferre? *Tollitur.* Videntur quidem imperitis bona loqui, cum tamẽ bonam ad rem loquantur nihil, ſed omnia ad interitum, tum animæ : tum corporum, tum famæ : tum facultatum, ſæpe etiam totius Reipublicæ, regni, imperij. *NOTA.* At inquis cognitu id eſt difficile, an ad rem, vel extra quis loquatur. *Regula agnoſcendi turbatores.* Propterea cauendos eſſe ſummopere & ſuaſi, & ſuadeo, quia non omnium eſt intellectus; TVRBÆ vero quæ affectũ, ac ſermonis dulcedinem,

cedinem, non rationem ducem plerumq́;
ſequitur minimè. Quod ſi momenta re-
rum, & vim argumētorū ponderauerimus,
Chriſto adiuuante, haud difficulter impo-
ſturas agnoſcemus. Do aliquot diſcretionis
regulas, meo iudicio & euidentes & faciles.
Prima ſit quam iam attuli nempe, non cæ- *1. Ratio i-*
cum affectum, ſed vidētem ſequi rationem. *pſa.*
Secunda quam tu attuliſti. Dicta enim illa
compta, ſuauia, placentia, fucata, plerumq; *2. Fuga pla*
& futilia, & nociua ſunt. Quo teſte? tum ra- *centium.*
tione, tum ſcriptura. Ratio enim docet nos,
quod veritatis ſimplex eſt oratio, mendaciū
vero fucis, & verborum lenocinijs indiget.
In ſcriptura vero ij qui *placentia* dicunt male
ſemper audiunt, Paulus vero Apoſtolus in-
quit *Per dulces ſermones & benedictiones ſedu-* *Iſai. 30. 10.*
*cunt corda innocentum.* Quid exactius, & no- *Rom. 16. 16*
ſtro inſtituto magis accommodatū dici po-
tuit? Iſta igitur fugias, fortia vero ama. Ter- *3. Scopi in-*
tia regula eſt preſſius loquendo, conſiderare *veſtigatio.*
finem ad quem iſti collimant, non illum
quem iactant, & in TVRBAM ſpargunt, ſed
quem dentibus premunt; & diſſimulant, vt
tandem, diſpoſita materia illum euomant.
Tu vero ne diſſimula, ſed quære diligenter
tum in mente tua, tum à viris prudentibus,
& pijs quorſum iſta tendant, quid parere
poſſint, & videbis, crede mihi (præſertim *4. Oratio*
ſi orationem ad Deum, vſum ſacramento- *& put.*

rum, & alia pietatis officia hoc nomine exercueris, quod in re adeo graui neceſſarium eſt) latere anguem in herba, venenum in ſuauiloquio. Quarta regula. Non finem modo, ſed & media quibus vtuntur perpende, inde enim facilius fraudes deprehendes. *5. Media intueri.* Si enim media cum peccatis coniuncta, aut ipſiſſima ſunt peccata, cuiuſmodi ſunt detractiones, iudicia temeraria, & ſæpe falſa. Item crudelitates, expilationes, inprimis vero mendacia, quæ vix vnquam latere poſſunt, certo ſcias flabra dæmonis eſſe iſta. Neque vero comprehendere ea difficile eſt, obuia enim ſunt quando verba cum rebus non conueniunt. Quod cum ſemel, vel iterum animaduerteris, quid reſtat aliud, quam ſcitum ex ipſo naturali lumine, petitum ſequi, mendacique fidem non adhibere vllam? Si enim id in cõtractibus ſeruatur ſemper, quanto magis in illis quæ ſalutem animæ, corporis, famæ, Reipubl. & rerum omnium concernunt locum habere debet? Talium igitur conſortium caue, & diligenter & feſtinanter: Etenim *corrumpunt bonos mores colloquia praua.* ait & approbat Paulus ex poëta. Quid Petro melius? cui dederat Chriſtus teſtimonium in lotione pedum, eum fuiſſe mundum? attamen hic innocens poſt aliquot horas ex conſortio impiorum, in turpiſſimam Magiſtri ſui, abne-

*Concluſio quarti remedij. 1. Cor. 15. 33. Ioan. 13. 10*

abnegationem incidit. Non igitur tibi fidas, ſed time & fuge malos quantum potes.

Ama vero conſtantiam, & viris conſtantibus adhæreſce. Hoc enim aliud & efficax eſt contra mala de quibus agimus remedium. Id vero docet te ratio è contrario ſenſu ex dictis petita. Id ſimilitudo. Sicut enim ſi chartam tenuiſſimam, quæ facillimè diuidi poteſt ferro ad glutines, etiam acutiſſimo gladio, magna vi librato illam diſſecare non poteris: ita ſi TVRBA fragilis, viris conſtantibus, glutino conuerſationis affixa fuerit,, à procelloſis iſtis ventis deijci omnino non poterit. Id deniq; inſtruit te TVRBA iſta Euangelica, quæ ſi prout cœperat, in Chriſti conſortio permanſiſſet, nunquã tum in abſurda tãta, tum in pœnas (quamuis multos in pente coſte reſipuiſſe credendum ſit) tam temporaneas, quam æternas incidiſſet. Tu igitur alieno periculo ſis cautus. *QVINTVM conſtantia.* *Simile nota.*

Poſtremum remediũ eſt BETHPHAGÆ, quod ſecundum D. Hieronymum domum maxillarum, iuxta alios domum vel ficuum immaturarum, vel oris vallium deſignat, & omnibus modis rectè PœNITENTIÆ typum gerit, quæ ex conſideratione vallis gehennæ, & buccæ infernalis, ficus quidem dulcedinis, quæ in initio conuerſionis ſentitur *SEXTVM Pœnitẽtia.*

tur

tur profert, immaturas, matureſcent vero, ſi os tuum, quod domus quædam eſt maxillarum: tum in ſingultus pro peccatis: tum in puram, veram & integram eorum confeſſionem laxaueris. Quod tanto diligentius facies, & acrius, quanto & vitium hoc, quo plurimi inuoluuntur grauius eſt & tu conſilijs, auxilijs, & monitis tuis plures turbaſti. Itaq; quod ſanctus rex Ezechias dicebat. *Ego dixi in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi*: tu ita exequere, vt deſcendas eo mente, ne poſtea cogaris deſcendere, primum in anima poſtea vero in corpore æternum cruciandus; & deſcende non ſolum ad portas, ſed & ad ipſum infernum, inferiorem, vbi contemplaberis, cum alia tormentorum genera: tum illud atrox & crudele, quod per tria iam pene annorum millia ſuſtinent ij, qui propter ſcelus tuo ſimile viui deſcenderunt in infernum, vt ex ore ſpiritus ſancti, audiuiſti. Ex hac igitur ſancta contemplatione timore concutias cor tuum, & ſerio per ſacramentum pœnitentiæ conuertes te ad Deum tuum, vt hac ratione SVBIVGALIS, id eſt anima tua, & PVLLVS eius, id eſt caro, iugo Chriſti edomita, ac operibus ſatisfactorijs, quæ valde ſunt neceſſaria, præſertim reſtitutio, tanquam veſtibus Apoſtolorum ornata ſuſcipiant ſupra ſe ſeſſorem, Chriſtum IESVM, qui cum Patre in

*ſtimulus eius.*

*Iſa. 38. 10.*

vnitate

vnitate Spiritus ſancti viuit & regnat Deus per ſæcula. Amen.

# CONCIO II. FIDES.

*SOLVENDI VIS. ET CEREMONIÆ.*

*Inuenietis aſinam alligatam, & pullum cũ ea, ſoluite & adducite mihi. Et impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua & eum deſuper ſedere fecerunt.*

QVod S. Patres inprimis autem Auguſtinus & Gregorius Magnus de Chriſto Ieſu Domino noſtro notauerunt, eum nimirum non verbis tantum, ſed & rebus, miraculis ac factis locutum fuiſſe, idipſum ſicut in aliis multis, ita in hodierno Euangelio locum habet. Quid enim putatis profectionem iſtam Ieſu in aſina cum tot ceremoniis, quæ eam præceſſerunt, & ſubſecutæ ſunt peractam, nihil in Eccleſia gerendum denotaſſe? Ego vero arbitror ne minimum quid eſſe, quod ſuis careat myſteriis. At myſticus inquis ſenſus ad conuincendos hære-

*Chriſtus rebus aliquãdo loquitur vt hic.*

*Occurritur obiectioni.* hæreticos non valet quicquam. Diſtinguo, tum de ſenſu, tũ hæreticis. Talis enim ſenſus qualis hîc eſt, quem ipſe propheta ſuo interpretatur modo, merito ſane inſtar literalis habẽdus eſt. Etenim cum Zacharias poſtquam filiæ Syon, id eſt Iudeis, profectionem Chriſti in aſina & pullo prædixiſſet, ſtatim ſubiungat, *& loquetur pacem gentibus, & poteſtas eius à mari vſque ad mare, & à fluminibus vſque ad finem terræ*: id ipſum omninoque Sancti Patres dicere videntur, nempe ſe per hæc animalia Iudæos & Ethnicos intelligere. Diſcerno deinde inter hæreticos. Quorum aliqui adeo ſunt pertinaces, vt etiam agnitam veritatem nonnunquam oppugnare non vereantur. Et ad tales conuincendos non hæc modo, ſed & clariſſima ſcripturæ teſtimonia minimè ſufficiunt. Nunquam enim impudenti garrulo deerit quod ſiue ad, ſiue extra rem loquatur. At vero ſunt alij hæretici, qui veritatem agnoſcere, & agnitam ſequi deſiderant, & de iis qui eiuſmodi ſunt ſpem concipio, illos accedente ad rationes ex ipſa ſcriptura depromptas, vnanimi ſanctorum conſenſu, qualis eſt hîc, eos manus tandem veritati daturos. Qua in parte & nos quoque illos iuuemus.

*Zach 9.9.*

*Duplices hæretici.*

*PROP. Tripartita.* Principio itaque in concione hodierna themata (ſunt enim quaſi duo) excutiemus,

&

& explicabimus. Deinde quid per hæc gerẽda in Eccleſia Chriſti ſignificetur aperiemus, eaque tum his, tum aliis ſcripturæ locis comprobabimus. Poſtremo more nobis conſueto ex dictis ſigna, tum Eccleſiæ Chriſti, tum ſynagogæ Sathanæ pandemus. Da Chriſte Ieſu id ita agamus, vt & poteſtatem Eccleſiæ à te relictam agnoſcamus, eique obediamus, & te totis corporis & animæ noſtræ viribus, vt par eſt colamus.

*I. PARS Thema.*

INVENIETIS ASINAM ALLIGATAM ET PVLLVM CVM EA. Vt ſolido ædificio firmum iaciatur fundamentum, multum intereſt noſſe facti hiſtoriam. Cerno enim inter graues auctores imo inter ipſos S. Patres haud exiguam controuerſiam, an videlicet Chriſtus Ieſus in hac ſua Ieroſolymam profectione, inſederit aſinæ an ſoli tantum pullo. Qui vtrique inſediſſe ſentiunt, thema propoſitum pro ſe habent, magis vero etiam ſequentia: qui vero in ſolo a ſello profectum aſſeuerãt, tres alios Euangeliſtas, qui aſinæ mentionem non faciunt, in patrocinium ſui adducunt. Mihi prior opinio adeo placet, vt nihil penitus dubitem, vtriuſque animalis opera CHRISTVM eſſe vſum. Semper enim fui, ſumque huius ſententiæ, quotieſcunque verba ſcripturæ, vt ſonant intelligi poſſunt, ad figuras recurrendum non eſſe.

*Vtrum ſolo pullo vſus fuerit Chriſtus.*

*Vtroq; vſum probatur.*

Porro

Porro ita ſe hic rem habere, quadruplici inducor ratione. Primo verbis thematis iam prolatis. Quorſum enim ſoluere vtrumque iuſſiſſet (Nam pullum quoque ligatum fuiſſe alii Euangeliſtæ clare teſtantur) ſi altero tantum vti voluiſſet? præſertim ſi pullo tantum, vt ipſi volunt inſediſſet, quid oportuit matrem filium ſequi? Secundo clarius ex altera parte thematis. Cum enim dicitur de Apoſtolis.

*1. E themate.*

ET IMPOSVERVNT SVPER EOS VESTIMENTA SVA perſpicuum eſt eos in plurali loqui, vtrique ergo animali impoſuerunt veſtimenta, & in vtroq; ſedit Chriſtus. Nam ſubiungitur.

*2. Ex facto Apoſtolorũ*

ET EVM DESVPER SEDERE FECERVNT. Prius in vno, poſtea in altero. Tertio clariſſime ex Propheta Zacharia, quem noſter & D. Ioannes citant. Is enim expreſſe inquit. *Ecce rex tuus veniet tibi iuſtus & ſaluator: ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam & ſuper pullum filium aſinæ.* Sed inquiunt poteſt Hebræum verbum verti in maſculino. Poteſt ſane, nam vtrumque ſexum ſignificat. At vertendum non eſſe ſuadet, imo iubet, tum propheta, qui alias tautologiam commiſiſſet. ſi de eodem dixiſſet: tum D. Matthæus qui aſinam interpretatur. Denique quia myſterium de Iudæis & gentibus conuertendis, quod omnes, etiam ipſe Zacharias

*3. Ex Propheta.*

*Zach. 9. 9.*

rias

rias agnoſcit, locum hîc non haberet. Quare cum maior vis inferatur ſcripturæ, recurrendo ad ſinechdochē, ſilepſim & alias figuras, vt reſpōdeamus ad Matthæū & Prophetam, quam ſi ſimpliciter dicamus tres alios Euangeliſtas, qui pulli tantum meminerūt; non negaſſe aſinam ibi quoque fuiſſe: proinde argumentum ab auctoritate nullum eſſe, præſertim cum contrarium apertè alia ſcriptura aſſerat, quod dixi omnino ſentiendum iudico.

*5. E Regulā interpretādi ſcripturam.*

Quod ſi quæras cur alij Euangeliſtæ aſinam prætermiſerint: quamuis reſponderi poſſit, nos non teneri omnium dictorum, aut non dictorum factorumq́ue rationem reddere: tamen hæc fortè ratio non erit incongrua. Matthæum cum Propheta quia Hebræis hebraicè ſcribebāt, aſinæ per quam illi deſignabantur meminiſſe: alios vero qui gentilibus Græcè vel Latinè (vt Marcus) ſcribebant, pullo tantum qui hos figurabat contentos fuiſſe.

*Cur alij ſolius pulli meminerūt*

Quonam vero modo his beſtiis Chriſtus Dominus vſus fuerit, diſcrepare video noſtros auctores, & in duas abire ſententias. Alij enim prius aſinæ poſtea pullo, alij è cōtra pullo prius inſediſſe aſſerunt. Quid ſi vtrumq; coniungamus? & dicamus primum quidem ſediſſe illum in aſina, poſtea vero in pullo, ac tandem cum ad templum appropinquaret, iterum aſinam reſumpſiſſe? Con-

*Quomodo Chriſtus his animalibus vſus.*

*NOTA.*

iecturę huic ſi deſunt auctores, nõ deeſt magnum ſanè, & in vtroque Teſtamento fundatum myſterium. Sed inquis à BETHPHAGÆ vel à monte OLIVETI, quod propius adhuc erat Ciuitati, & quo animalia adducta creduntur, aliquot tantum ſtadia ad templũ intercedebant, indecens igitur & improbabile videtur Chriſtum in tam breui itineris ſpacio toties animalia ſedendi cauſa permutaſſe. Hoc argumentum præcipuum fuiſſe illorum, qui aſinam omnino excluſerunt, video. Et ſanè ſi mundi ſequamur iudicium, non id ſolum, ſed & alia multa à Chriſto facta abſurda nobis apparebunt. Quæ quidem abſurda multi capite ſuo non fide Catholica metientes, in graues errores & hæreſes inciderunt, & hucuſq; incidunt. Ita antiquis hęreticis abſurdum viſum eſt Chriſtũ verè paſſum fuiſſe, ideo corpus quoddã vel ſpirituale, vel phantaſticum illi affinxerunt: Ita noſtris Anabaptiſtis abſurdum apparet, Deum carnem aſſumpſiſſe: Ita Caluiniani pro magno abſurdo, & incõuenienti reputãt Chriſtum eſſe in cœlo, & tamen reperiri verè & realiter in Sacramento Euchariſtiæ, imo in ore impiorum & brutorũ animalium, multaq; talia abſurda videntur variis hæreticis, quæ tamen ipſiſſimæ ſunt veritates Catholicæ. Idcirco hoc argumentandi genus cauendum plurimum cenſeo. Sed miſſis hæreticis &

*Obiectio ex indecentia*

*Telum hoc.*

*Et periculoſum,*

*Ideo cauendum.*

& hæreſibus innumera ſunt alia Chriſti opera quæ argutulis inconuenientia videntur. Duo ex hiſtoria facti hodierni accipite. Alterum quod in priori cõcione notaui, nempe in triumpho, & communi omnium lętitia flere, quod tamen Chriſtum feciſſe hodie D. Lucas refert. Alterum hoc ipſum de quo agemus, & quod omnes concedimus Chriſtũ Ieſum, regem regum, & dominum dominãtium animali tam vili, & quodammodo infami, aſino inquã in triumpho vſum fuiſſe. Neq; enim ego mihi perſuadere poſſum eo tempore honoris fuiſſe talibus vti animalibus. Nunquid ſi id honoris fuiſſet neglexiſſent Iudæi hoc nomine Chriſtum corã Pilato accuſare? Imo id primum fuiſſet, quod honorem regium vſurpare ſibi voluiſſet, vectus animali regio cum triumpho. Quare quod dixi concludo, ſi iudicium mundi ſequamur hæc permutatio animalium, imo ipſa in eis profectio improbabilis imo probroſa futura eſt: ſin autẽ humilitatem Chriſti, & myſterium intuebimur, erit valde probabilis imo probata.

*Et iuxta Chriſtum Sanum.*

*Exempla duo.*

*Concluſio.*

Quid hoc eſt myſterij? Iam inſinuaui per ASINAM populum Iudaicum per PVLLVM vero gentes intelligi, hoc vult propheta vt vidimus, hoc ſenſus & conſenſus omnium Sanctorum patrum, hoc res ipſa loquitur. Quid enim ſibi vult quod Matthęus aſinam

*Myſteria. PRIMVM in animalibus.*

*Aſina Iudæos.* vocet SVBIVGALEM? Nihil certe aliud, quam quod Iudæi fuerint ſub duro illo iugo Moſaico, de quo D. Petrus inquit. *Nunc ergo quid tentatis Deum imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neque patres noſtri neque nos portare potuimus?* PVLLVM vero FILIVM SVBIVGALIS, nationes gentilium deſignare tria ſuadent: primo quia ipſi à Iudæis tanquam à matre Euangelium acceperunt. *Quia ſalus ex Iudæis eſt.* teſte ipſo Chriſto. Deinde quia gentes lege domiti non erant, imo *legem non* habebant, teſte D. Paulo. poſtremo quia ſuper PVLLVM neq; Patriarcharum, neq; Prophetarum, neq; Sacerdotum, imo *nemo adhuc hominum ſedit* vnquam, teſte D. Marco, ſoli enim Chriſto & legi ipſius ſanctiſſimę id debebatur, & ſeruabatur. Itaq; vt in pauca rem conferam, Chriſtus IESVS Dominus noſter, hoc triumpho demonſtraturus futurum ſtatum Eccleſiæ ſuæ, in qua triumphare in omnibus linguis, pop: nationibus per totum terrarum orbem debuit: aſſumit tum ASINAM, tum PVLLVM, quia in Iudæos & gentiles figuratos per hæc animalia, totus tunc diuidebatur orbis. Volens vero inſuper, initium, progreſſum & finem eiuſdem Eccleſiæ, ob oculos ponere noſtros, mea quidem coniectura, primum ſedit ſuper ASINAM, quia populum Iudaicum ipſe ore inſtruxit

*Act. 15. 10.*

*Pullus gentiles deſignat tribus de cauſis.*

*Ioan. 4. 22.*

*Rom. 2. 14.*

*Mar. 11. 2.*

*SECVNDVM in mutatione beſtiarum.*

ſuo dicens. *Non ſum miſſus niſi ad oues quæ pe-* *Mat.15.24*
*rierunt Domus Iſrael.* Verum quia hi, quos
ipſe iugo Euangelij ſubiugauit, non adeo
multi erãt, ideo breui etiam tempore aſinæ
inſediſſe creditur, ſtatim enim PVLLVM *ſu-* *Mat.11.2.*
*per quẽ nemo hominum ſedit*, aſcendit, indomi-
ta gentilium dorſa Euangelio ſuo domans,
quod non per ſeipſum quidem, ſed per di-
ſcipulos ſuos eorumq́ue ſucceſſores fecit, fa-
citq́ue hucuſque *ex lapidibus* Braſilicis, In-
dicis, Iaponicis, Mexicanis, & Peruanis, no-
uos ſui laudatores ſibi in dies ſingulos for-
mans. Proinde diu pullo, toto quaſi itinere
vectus, tandem templo appropinquans, ite-
rum reſumit ASINAM, vt re ipſa oſtende-
ret impletum iri, quod in fine mundi futu-
rum olim propheta prædixerat, quodq́; po- *Iſai.10.22.*
ſtea D. Paulus repetiit, nempe reliquias Iſra-
ëlis conuertendas. Cum enim *plenitudo gen-* *Rom.9.27.*
*tium* intrauerit, tunc *omnis Iſrael ſaluus fiet*, *Rom.11.26*
inquit Apoſtolus.

Hoc iacto fundamento ad id quod pri- *II. PARS.*
marium eſt huius concionis veniamus, & ex *Quid hæc*
duplici hoc themate, duplici via, multis vero *deſignent.*
argumentis demonſtremus, tum quid hæc
gerenda in Chriſti Eccleſia deſignent: tum
quomodo inde cognoſci illa queat. Et prio- *NOTA.*
ris quidem viæ hoc argumentum baſis eſto. *Argumen-*
Ibi eſt vera Chriſti in terris Eccleſia vbi huc- *tum Baſim*
uſque manet poteſtas data hîc Apoſtolis & *dicendorũ.*

ſucceſſoribus eorum, nempe ſoluendi aſinam & pullum, & adducendi ad Ieſum. At in ſola Eccleſia Catholica & Romana, iſta hucuſque reperitur facultas & poteſtas. Hæc igitur erit vera Chriſti in terris Eccleſia. Maximam negaturos hæreticos non reor, niſi aut rudes, aut contentioſi ſint nimis. Illi enim non intelligent, hi vero cauillabunt dicentes, non homines, ſed beſtias ſoluendi datam hic eſſe poteſtatem: doctiorum tamen hoc dicturum arbitror neminem: tum quod iam euidenter ex propheta deductũ ſit, per animalia hæc homines ſignari: tum quod etiam ipſi palam profiteantur, ſe ſoluendi, & adducendi homines ad Chriſtum quandam habere poteſtatem. Sed in quo hæc poteſtas ſita ſit, ſub iudice lis eſt, & vt hydræ iſtius fert natura, nouis exurgentibus capitibus, nouæ oriuntur in re graui ludicræ opiniones. Quid opus eſt eas recenſere? vel quis id potis eſt facere? Quare ſingularibus prætermiſſis, generalem tantum illam iſtorum proponam reſponſionem, nempe hanc SOLVENDI poteſtatem in prædicatione puri puti verbi Dei conſiſtere. Id omnes quod ſciam etiamſi è diametro ſecũ pugnent affirmant, id ſinguli ſibi arrogant, & arrogata ſibi hac auctoritate, ita quilibet eorum hoc purum & putum verbũ Dei putat, vt vix iam quicquã eius remaneat amplius, imo ne vix quidem

*Maxima clara.*

*Soluendi poteſtas conſiſtit.*

*Iuxta hæreticos in prædicatione.*

*Purum & putatũ Dei verbum,*

dem. Quis enim ignorat Anabaptiſtarum Euthuſiaſtas totam quaſi reiicere ſcripturam? Quid ni illud antiquum hic exclamem? O tempora! ô mores! Nunc enim prout cuiuſque eſt viuendi ratio, ita fidem ſibi in capite format, ad inſtar cuius verbum Dei putat: tum auferendo ex eo quæ placet, integra etiam & plura volumina: tum cætera ſicut libitum fuerit mutilando, peruertēdo, interpretando, quanto abſurdius, tanto pro illis melius, quia refutatu difficilius. Cōtra negantem enim principia, qui procedemus? Iſti ſunt veſtrorum, ô Lutherani quos ieciſtis axiomatum fructus, eximij, qui ita in mente hærent veſtra, ſicut ſpina in gutture. Neutrum enim deglutire poteſtis. Quî deglutietis? quandoquidem facultatem prędicandi verbum Dei cuiuis dediſtis? *NOTA.*

Quid inquis? An tu ad ſoluendi poteſtatem prædicationē verbi Dei non requiris diſertis verbis dicente ſeruatore, *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangeliū omni creaturæ?* Requiro ô bone, requiro, ſed nō in hoc vim ſoluendi colloco totā vt tu, imo vt ſalua fide Catholica dicā, quod ſentio, nullam. Si enim in prædicatione verbi vis ſoluendi cōſiſteret, nullus ſine illa ſolui poſſet. At hoc in infantibus, qui ab originali peccato, non audito Euangelio, quia necdum illud audire poſſunt, ſoluuntur falſum eſt. Falſum igitur

*Obiectio.* *Mar. 16. 15.* *Refutatur hæreſis.* *1. Ex infantibus.*

rit in prædicatione SOLVENDI ſitam eſſe poteſtatem. Quid hac deductione euidentius? Certè ſi Anabaptiſta non es id de infantibus ſentire debes. Quid de adultis? Idē omnino, atque ita totum tuum phantaſma perit. Quo teſte? E multis ipſo themate. Quod vt capias, cape. Nos quidem vt adulti ſoluantur à peccatis requirimus prædicationem verbi Dei, imo etiam, vt per fidem verbum Dei recipiant. Sed non in hoc ſoluendi poteſtatem eſſe poſitam aſſerimus. Illa enim diſpoſitiones tantum ſunt ad ſoluēdum, non ſolutio ipſa. Quo authore? Chriſto, tum alias de quo infra, tum in themate propoſito. Hic enim antequam diceret SOLVITE ET ADDVCITE MIHI præmiſit, ITE ET INVENIETIS ASINAM, &c. Sicut ergo aliud eſt Ire & inuenire, aliud ſoluere, quia illud præparatio tantum fuit quædam ad ſoluendum; ita aliud eſt prædicatio verbi, quæ itio quædam eſt, idcirco dicit Chriſtus *Euntes*, aliud receptio prædicationis per fidem, quæ inuentio quædam eſt, & vtrumque eſt præparatio tantum quam ipſa tādem ſolutio ſequitur. Hæc nos diſtinctim & credimus, & deducimus, vos vero more veſtro omnia & miſcetis, & non probatis. Vtinam aliquando tandem errorem deponatis.

*2. Ex adultis.*

*Explicatur ſententia Catholicæ.*

*3. Ex Themate.*

*In quo vis ſoluendi conſiſtat.*

Quæris. In quo igitur hæc ſoluendi poteſta-

teſtas conſiſtit? Iam dixi in multis. Verum nos hodie vniuerſim loquemur, & illos tantum ſoluendi tangemus modos qui omnes pertinent ad Chriſtianos, qui ad tria capita reduci poterunt, iuxta illam diſtinctiunculam, quam nemo niſi amens negauerit, nos per peccatum, tum in offenſam Dei, quę culpa dicitur: tum in pœnam peccatis debitam incurrere. Peccatum autem duplex eſt. Originale, quod in Adam contraximus, & Actuale, quod nos ipſi patramus. Itaque Sathan tribus quaſi rudentibus vniuerſaliſſimis captiuum tenet genus humanum. Primo per peccatum originis; ſecundo per peccatum cuiuſuis lethale; tertio per pœnam peccatis iuſto Dei iudicio iuſtè aſſignatam; Ab his tribus dat ſoluendi poteſtatem Chriſtus Ieſus Dominus noſter: tum in hodierno Euangelio verbo SOLVITE, in typo duorum iſtorum animalium: tum alibi clarè. Petro quidem cum inquit. *Tibi dabo claues regni cœlorum. Et quodcunque ligaueris ſuper terram erit ligatum & in cœlis, & quodcunque ſolueris ſuper terram erit ſolutum & in cœlis.* Aliis vero Apoſtolis cum ait: *Amen amen dico vobis, quæcunque alligaueritis ſuper terram erunt ligata & in cœlo, & quæcunque ſolueritis ſuper terram erunt* SOLVTA *& in cœlo.* Quod autem hic promittit, poſt reſurrectionem ſuam vtriſque præſtitit. Ecce

*Duæ diſtinctiuncula.*

*Triplices Sathanæ funes.*

*Ab his ſoluendi poteſtas data.*

*1 Hic.*

*2. Petro. Mat. 16. 19*

*3. Aliis Apoſtolis. Mat. 18. 18*

*NOTA. Verbum ſolutionis. Id habetur in Eccleſia ordinatè.*

tibi in vtroque teſtimonio etiam ipſum verbum SOLVTIONIS. Quod oſtende quæſo in toto nouo Teſtamento de prædicatione dictum? Quod quia non demonſtrabis, da manus veritati, fidemque ſuſcipias Catholicam. In qua præter prædicationem puriſſimi verbi Dei habemus triplicem hanc facultatem nobis liberaliſſimè à Chriſto Ieſu relictam, pro qua & eas quas poſſumus illi agimus habemusque gratias, & facultate hac iuxta confeſſionem Chriſti ordinatiſſimè vtimur perlibenter.

*Triplex ſoluendi poteſtas in Eccleſia.*

*1. A culpa & pœna.*

Ordinem hunc ſcire cupis? Accipe præclarum ſanè à ſapientia patris ſapientiſſimè inſtitutum. Triplex eſt. Nam aliquando ſoluimur à culpa ſola, pœna commutata, aliquando à ſola pœna, aliquando ab vtroque ſimul. Incipiamus ab hoc poſtremo, quod fit per regenerationis, ſiue baptiſmi Sacramentum. In qua à noxa quidem originali primario, ſecundario vero tum ab omnibus quotquot fuerint peccatis actualibus, tum à culpa tum à pœna ſoluimur, & adducimur ad Chriſtum. A quo ſoluimur? A Deo quidem ſi primariam ſpectas poteſtatem: ſi inſtrumentariam, Primum quidem ab Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus, in neceſſitate tamen à quouis rite formam huius Sacramenti proferente, & aquam adhibente.

hibente. Deinde à peccatis quæ noſmetipſi poſt ſuſceptum baptiſma patrauimus, ſoluimur per Sacramentum pœnitentiæ. Aliter tamen quam in baptiſmo: tum quod Sacramentum hoc ex inſtituto nihil poſſit in peccatum originis: tum quod hic vi Sacramẽti, ſola tantum culpa remittatur, pœna æterna in temporalem cõmutata: tum quod id ſolis tantum competat ſacerdotibus, neq; omnibus, ſed iis ſolummodo, qui iudicandi poteſtatem, ſiue ordinariam, ſiue ſubdelegatam legitimè acceperunt. Poſtremo à ſola pœna, quæ dimiſſa culpa in hac aut in alia vita perſoluenda remanet, ſoluimur per Indulgentias: diſpari tamen à prioribus ratione. Tum quod indulgentiæ contra culpam valeant nihil: tum quod non niſi hac dimiſſa illæ robur exerunt: tum quod ius SOLVTIONIS iſtius in ſummo reſideat ſacerdote, indeq; ad alios deriuetur: tum denique quod ſolutio hæc aliam ſolutionem de theſauro Eccleſiæ prærequirat. Hæc eſt & ampliſſima & ordinatiſſima à Chriſto Dño ſpõſæ ſuæ SOLVENDI homines data poteſtas: quam eſſe in Eccleſia fides Catholica credit, profitetur, euincit contra omnia, tam antiqua quam recentia hæreticorum monſtra. Qui primũ quidem illud ſoluendi genus quod fit per baptiſmum, multum; alterum vero quod per Sacramentũ pœnitẽtiæ exercetur, plus

*2. A culpa tantum.*

*Differt tripliciter à priore.*

*3. A ſola pœna.*

*Quatuor inter hanc & alias differentia.*

*Quid hic hæretici.*

plus & plures : poſtremum autem plurimum, & omnes oppugnant, ſed non expugnant, ſcommatis lacerant, ſed non dilacerant, rident, ridendi vel deflendi potius ipſi.

*Quid nos.* Contra quos pro dignitate tantæ materiæ, copioſè agere, nec tempus patitur, nec locus poſtulat : præſertim cum & alia ſuperſint tractanda. Itaque delibemus ſaltem illa, & ſingulis capitibus ſingulas auctoritates apponamus, totidemque aduerſariorum obiecta diſſoluamus.

*PRIMVS ſoluendi modus per baptiſma deducitur. Ex loco contra nos citato ſex pro nobis argumenta. Mar. 16. 15 Mat. 28. 20.*

Et quod ad primam quidem ac primariam ASINAM & PVLLVM, id eſt, Iudæos & Gentiles, ideoq; totum genus humanum SOLVENDI, & ad Chriſtum adducendi poteſtatem quæ in baptiſmo exercetur attinet, ſufficiat illud ipſum, quod contra nos allatum eſt ſcripturæ teſtimonium. Poſtquã enim dixiſſet Chriſtus apud D. Marcum. *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ*, apponit apud D. Matth. *docete omnes gentes baptizantes eos, in nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis, & ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* E quibus verbis habemus pro nobis contra illos ſex præclara

*1. Iam dictum.* argumenta. Primum iam dictum nempe aliud eſſe prædicare Euangelium, aliud ſoluere. Quia illud præcedit, hoc ſequitur & fit

fit per baptiſmum. Secundo iubentur Apoſtoli, tum ire *in mundum vniuerſum*: tum prædicare *Euangelium omni creaturæ*. Hoc faciunt alumni Eccleſiæ Romanæ ad hanc vſq; horam, hæreticorum vero nemo. Tertio ex eo quod dicit Chriſtus, *docete omnes gentes baptizantes eos*, concludimus ſicut ad docendum, ita ad baptizandum ideoq; ad ſoluendas animas à peccatis verè concurrere, qui id muneris exercent; quod hæretici & ſchiſmatici negant. Quarto cum inquit Chriſtus, *docentes eos ſeruare omnia quæcunq; mandaui vobis*, euidenter euincimus omnia mandata Ieſu ſeruatu eſſe poſſibilia, proinde etiam illud quod ore protulit ſuo, *Diliges Dominum Deum tuũ ex toto corde tuo*, &c. quod nos aſſerim⁹, aduerſarij vero noſtri fortiter & inſulſe negant. Quis enim niſi mentis inops præciperet docere alium id, quod ipſi factu eſt impoſſibile? Verbi cauſa, cœcum pulchros formare characteres, mãcum pulſare cytharam, & his ſimilia. Talem hæretici faciunt Chriſtum, cum ipſi mente penitus exciderint. Denique cum Chriſtus ſolenniter proteſtetur dicens. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi*, nos certiſſimis pollicitationibus ipſius credentes duo profitemur. Alterum Eccleſiam ipſius, nec decipere nec errare vnquam poſſe, alias enim non eſſet cum ea Chriſtus

*2. Catholica prædicatio.*

*3. Concurrere nos ad ſoluendum.*

*4. Chriſti legem factu eſſe poſſibilem.*

*Mat. 27. 37.*

*Simile NOTA.*

*5. Eccleſiã nec deficere, nec errare poſſe.*

*omnibus diebus.* Qui enim cum illa eſſet, ſi ipſa aut non eſſet, aut erronea eſſet? Nunquid prima veritas errorem approbabit? O blaſphemia! Alterum hanc ſoluendi poteſtatem eſſe hucuſq; in Eccleſia & futuram *vſq; ad conſummationem ſæculi.* Id enim verba iſta clariſſimè docent, cum certum ſit Apoſtolos ad quos hic ſermo factus eſt, non niſi per ſucceſſores ſuos perdurare vſq; ad conſummationem ſæculi. Cum ſucceſſorib. igitur Apoſtolorum eſt IESVS, tum aliis modis tum quod opera illorum vtitur ad ſoluendas animas à peccatis, ſicut hîc vſus eſt opera Apoſtolorum ad ſoluenda iſta animalia, & adducendi ea ad ſe.

*6. Poteſtatē ſoluendi eſſe in Eccleſia.*

Iſtæ ſunt gratiæ liberaliter à Chriſto IESV conceſſæ ſponſæ ſuæ, quas hæretici non ſolum repudiant, ſed etiam cauillis & argutiis ſuis eneruare conantur. E quorum numero eſt illa. Apoſtolus Paulus aſſerit Chriſtianorum filios ſanctos eſſe antequam baptizentur. Sacerdotes igitur non concurrunt ad ſoluendos illos à peccatis, cum iis iam careant. Hæc & baptiſma & miniſtros eius proſcindens ait Caluinus, filius antiquorum, pater vero nouorum hæreticorum. Pater inquam eſt Anabaptiſtarum, qui in hac Caluini opinione, & ſcripturæ interpretatione, in ſuo de non baptizandis infantibus errore mirifice confirmantur & fundantur.

*Occurritur Caluino de filiis ſanctis*

*1. Cor. 7. 14.*

*Caluinus lib. 4. Inſt. cap. 15. ſer. 20.*

*Caluinus pater Anabaptiſt.*

dantur. Filius vero eſt antiquorum Pelagianorum, qui idem quod ipſe ſentiebant, eodemq; modo locum hunc exponebant, quos & ſæpe & valide confutat D. Auguſtinus. At nos more noſtro ad textum recurramus, & videamus cuinam magis ſeruiat, nobis an Caluino Apoſtolus: itaque Paulus poſtquã conceſſiſſet fideli cohabitationem cum infideli: dans huius ſuæ conceſſionis cauſſam inquit. *Sanctificatus eſt enim vir infi delis, per mulierem fidelem, & ſanctificata eſt mulier infidelis, per virum fidelem, alioqui filij veſtri immundi eſſent nunc autem ſancti ſunt.* Quæro à Caluino *filij iſti* quomodo *ſancti ſunt*? reſpondet ſanctos id eſt ſanctificatos eſſe & iuſtificatos etiam antequam baptizentur. At hoc non legitur in textu domini, CacoEuangelici, cur ergo additis ad ſcripturam, & additamenta veſtra plebi imperitæ pro ſcriptura venditis? Nec timetis maledictionem quam toties inepte nobis inculcatis. Quid ſi ego inquam: Idcirco Paulum dicere, *ſancti ſunt*, quia vel à patre vel à matre fideli ad baptiſma adducebantur, & ita ſanctificabantur: qua ſcriptura erroris hanc meam conuinces interpretationem? Nulla equidem. Igitur vel da iudicem, qui abſque errore poſſit inter nos diſcernere, quæ expoſitio ſit vera, vel impoſtorem te agnoſce,

*Et filius Pelagian.*

*Aug. lib. 6. cont. Iul. cap. 5. Item ſer. 14 de verbis Apoſtoli & alibi.*

*Conuincitur.*

*1. Quia addit ſcripturæ.*

*2. Per inſtantiam.*

agnoſce, qui claram eſſe ſcripturam ais, cum aperta non ſit. Imo expoſitio tua euidenter huic ipſi repugnat teſtimonio. Si enim per ſanctum hic intelligemus infantem ſine baptiſmo eſſe ſanctificatum, eo ipſo quod ex fideli naſcatur: ſequetur etiam ſanctum eſſe, ſiue virum, ſiue mulierem infidelem, ſi cohabitat fideli, cum non minus expreſſis verbis teſtetur D. Paulus, ſanctificari virum infidelem, per mulierem fidelem, quam filios illorum ſanctos eſſe. Concediſne infideles ſanctos & iuſtificatos eſſe, etiamſi non baptizentur? Non puto. Falſum igitur erit, tum filios fidelium non baptizatos ſanctos eſſe: tum per ſanctitatem hic iuſtificationẽ intelligi. Quid ergo intelligitur? Vel quod iam dixi, vel potius quod ante mille & ducẽtos annos ſenſerunt ſancti Ambroſius Latinus, Chryſoſtomus Græcus, & alij, nempe per ſanctificationem hic legitimationem quam vocant intelligi. Quod certe ex verbis Pauli tam perſpicuè colligitur, quá quod maximè. Etenim exorta fuit tum temporis inter Chriſtianos controuerſia, an inter fidelem, & infidelem verum & legitimũ matrimonium eſſe queat. Quam cum ad D. Paulum detuliſſent, vt ipſe in principio capitis teſtatur dicens, *De quibus autem ſcripſiſtis mihi*, reſpondet ipſe: ſi conſenſus cohabitandi acceſſerit, verum ac legitimum eſſe matri-

*3. Alias infideles eſſent iuſti.*

*Per ſanctũ legitimum hic intelligi probatur.*
*1. Ex S. Patribus.*
*2. Ex ipſo textu euidenter.*
*Tum ex quæſtione exorta.*

matrimonium. Quod probat dupliciter. Primo à priori ſeu à cauſſa dicens, *ſanctificatus eſt enim vir*, id eſt factus eſt legitimus maritus *infidelis per mulierem fidelem*, propter mutuum cohabitationis conſenſum. Conſenſus enim ita cauſſat matrimonium, vt ſine illo ſit nullum. Deinde idem probat ab effectu, quia filij talium *ſancti ſunt*, id eſt pro legitimis ab omnibus cenſentur. Ergo & ipſum matrimonium legitimum erit. Poſtremo tam claris verbis id declarat, vt vix clariora deſiderare queas. Cum enim ait, *Alioquin*, nempe ſi ſecus dixeritis, videlicet non eſſe verum inter illos matrimonium ſequetur quod *filij veſtri*, nati hac ratione, *immundi erunt*, ac tanquam ex immundicia & fornicatione nati reputabuntur, Quod cum abſurdum ſit vobiſmet teſtibus, verum erit quod dixi. Hæc eſt mens Apoſtoli plane & plene diducta. Itaq; concludendo hoc punctum. Cum neq; is locus in quo hæretici gloriantur neq; vllus alius officiat, imo & ea quæ diximus & multa alia proficiat nobis: ſtat fides Catholica, hunc primum ſoluendi modum in Romana Eccleſia reperiri & fideliter conſeruari.

*Tum à priori.*

*Tum à poſteriori.*

*Tũ ex verbis Pauli.*

*Concluſio huius puncti.*

Alterum ſoluendi ASINAM ET PVLLVM modum eſſe diximus, à culpa tantum non à pœna, quo non iam infideles, ſed fideles ex Iudæis ac gentilibus conuerſi ac baptizati,

*SECVNDVS ſoluẽdi modus per pænitentiam.*

poſtea vero in peccata prolapſi ſoluuntur. Hoc vero fit per eoſdem ſucceſſores Apoſtolorum in ſacramento pœnitentiæ. Cuius etiam virtute pœna æterna in pœnam temporaneam commutatur, vt communior & probabilior fert ſententia. Non tollitur tamen tota, vt inepte contra fidem, contra ſcripturã volunt hæretici. De qua ſoluendi poteſtate multa eſſent dicenda, quia multis oppugnatur ab hæreticis. Verum alius locus commodior captandus. Nec vero diu expectandum erit, *quatuor* decimi enim diei Euangelium id ex profeſſo habet. Itaq; illud ſolum quod attigi reſumo: ſed & hoc leui quod dicitur brachio tracto. Repeto dictum Chriſti ad Apoſtolos. *Amen amen dico vobis, quæcunque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* Audis quod iam monui SOLVTIONIS verbum? audis rem ipſam, nempe poteſtatem datam ſoluendi: audis vniuerſalem particulam, *quæcunque*: audis effectum *erunt ſoluta & in cœlo*: audis deniq; atteſtationem veritatis, ab ipſa veritate profectam, *Amen amen dico vobis*, dicit veritas IESVS. Quid amplius, ſi homo non es obſtinatiſſimus requiris, vel requirere potes? Cur Chriſto tam perſpicue, luculenter, & cum omnibus circumſtantijs loquenti & atteſtanti non credis.

*Matth. 18. 18.* *Comprobatur ex vno ſcripturæ loco quinq; argumentis.*

Credo

Credo, inquis, ego Chriſto, ſed hæc omnia per prædicationem verbi Dei fieri aſſero. At inepte imo inſulſiſſime, quod illa die Chriſto ꝓpitio demonſtrabo. Nunc id ſolum aio. Videri mihi noſtros hæreticos id pene prædicationi verbi, & fidei inde reſultanti dare, quod Phyſici materiæ, quam vocant primam, tribuunt. Sicut enim iſti in rebus naturalibus omnia ex materia fieri aiunt: ita illi in Theologicis & diuinis ex prædicatione & fide formant vniuerſa. Hæc apud illos ſunt ſigna Eccleſiæ, hæc dant vim ſacramentis, hęc ſoluũt, hęc iuſtificant, hęc Chriſtum in Euchariſtia ſiſtunt, hæc deniq; dant gratiam & gloriam. Quid amplius deſideres? Neq; vero ſine cauſſa vos Miniſtri tantum prædicationi & fidei tribuitis. Si enim hæc deeſſent, deeſſet imo periret doctrina veſtra ex toto terrarum orbe. Etenim per prædicationem verbi non diuini ſed veſtri (ne dicam quod verè dicitur, dæmonis) vos viuitis, & venena veſtra in vulgus ſpargitis: per ſolam vero fidem iuſtificantem diſcipulos vobis coaceruatis. Quis enim ſtultus, quorum, teſte Spiritu Sancto *infinitus eſt numerus* non eo accurrat, vbi tam facilis ſaluandi porrigitur ratio? Crede & ſaluus eris aiunt iſti, currunt illi, vtriq; tales, quales depingit ſapiens. Hæc pro meo quem ex tot quot quotidie pereunt animæ Chriſti ſan-

*Refugium & materia prima hæreticos prædicatio & fides*

*NOTA.*

*Cauſa iſtorum obſeruanda.*

*Eccl. 1, 15.*

 guine

guine redemptæ concipio iuſto dolore, paulo præter meam conſuetudinem acrius.

*Replica hæreticorum.* At inquiunt nos ſtulti non ſumus: imo multo vobis ſapientiores, qui non nobis ſed verbo Dei prædicato & annunciato, ſiue publice ſiue priuatim ( Nota eſſentiam ſacramentorum pſeudo Euangelicorum ) cum alia: tum remiſſionem peccatorum adſignamus: quam vos nimis arroganter vobis ipſis adſcribitis, immemores Dei apud Prophetam dicentis. *Iſa.43.25.* *Ego ſum ego ſum ipſe qui deleo iniquitates tuas propter me.* Et in nouo teſtamento ſcriptum eſt. *Quis poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus?* *Mar.2.7.* Agnoſco poſtrema iſta, verba patriarcharum veſtrorum, ſcribarum, & phariſæorum. *Reſpondetur regerendo.* At & vos meminiſſe oportuit, quid illis Chriſtus reſponderit. Quid? inquis Chriſto nos aſſimilatis? Abſit. Non id dico, ſed id aſſero, quod neq; Iudæi olim, neq; vos nunc intelligere vultis, poſſe nimirum poteſtatem remittendi peccata, non eam quam ſolus Deus habet, neq; illam quæ ſoli Chriſto competit, ſed aliam quandam communicari hominibus, quod & factum eſt à Chriſto Domino. Quis vero qui Chriſtiano gaudet nomine erit, tam impudens qui reſiſtat Chriſto, & prohibeat ne quod vult faciat? Iterum dico. Abſit vt arrogemus nobis, quod Dei vel Chriſti eſt proprium. Eſt ſane vis remit-

*Diſtinguendo triplicē*

tendi

tendi peccata quæ ſoli Deo competit, quam nos primariam, & poteſtatem authoritatis vocamus, quæ talis tantaq; eſt, vt ne humanitati quidem Chriſti communicari poſſit. *Vim remittendi peccata.* Sed eſt & altera quæ ſoli conuenit Chriſto, quam excellentiæ nuncupamus. Eſt deniq; tertia, quam miniſterialem iure dicimus, quam non nos nobis arroganter aſſumimus, vt tu calumnioſe aſſeris, ſed à Chriſto liberaliſſime data eſt Eccleſiæ: *Demonſtrādo datam poteſtatem tribus argumentis.* tum in hodierno Euangelio, ſub typo verbis illis SOLVITE ET ADDVCITE MIHI: tum clarius in loco ſuperius citato: tum clariſſime poſt reſurrectionē ipſius. Imo ex illo ipſo loco quem contra nos adduxiſtis, id pulchre colligitur. *Quarto ex eodem loco.* Nam cum inquit Chriſtus *Vt autem ſciatis quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata.* Quid aliud probat, quam poteſtatem dimittendi peccata, poſſe communicari hominibus, & ſibi, vt filius hominis erat eſſe communicatam? Quam & Apoſtolis deinde ipſe communicauit dicens, *ſicut miſit me pater & ego mitto vos.* Ibidemq; de hac ipſa facultate eſt ſermo. Videtis quam apte vna ſcriptura aliam interpretatur? Vtinam vero abiecta pertinatia videre velitis, intelligeretis facile, quæ nunc propter perfidiam veſtram, abſcondita ſunt ab oculis veſtris.

Tertius ſoluendi ASINAM ET PVLLVM, *Tertius ſoluendi mo-*

*dus per Indulgenias.* Id eſt omnes gentes, nationes, linguas, modus eſt, à ſola pœna eaq; temporali, non autem à culpa, niſi forte veniali, ſed neq; id certum. Fit autem SOLVTIO iſta per INDVLGENTIAS quas vocamus. Quo verbo audito rident ſuauiter hæretici, ipſi olim ridendi ab eo de quo Dauid. *Qui habitat in cœlis irridebit eos & dominus ſubſannabit eos.* Non id inquiunt timemus, iuſtas enim riſus cauſſas habemus: tum de nomine, quod non ſolutionem vel remiſſionem, ſed nimiam licentiam ſignificat: tum de re ipſa. Quid enim per Indulgentias dimittitur, cum tam culpa quam pœna ſimul à Deo condonentur nobis? Clamante tota ſcriptura Deum remittere peccata, nec recordari illorũ amplius, neq; ea nobis ad Deum conuerſis nocere quicquam, aliaq; innumera eiuſmodi, quæ docent id quod vos fieri negatis? Reſpondeo. Ea quæ nos vel potius fides Catholica, profitetur, non ſolum fieri poſſe, ſed re ipſa facta eſſe, & fieri quotidie, non ſemel ſed multoties imo ſemper, nec in vilibus tantum, ſed in magnis, & quod mireris magis, Deo charis perſonis. Vnum accipe, quod ſi ſolum eſſet in ſcriptura non permitteret me hæreticum fieri: Iſtud eſt Dauidis, cui pœnitenti, quamuis translata id eſt dimiſſa fuiſſe peccata teſtetur Nathan Propheta à Deo ad ipſum miſſus, tamen quas pœnas

*Ridetur ab hæreticis.*

*Pſal. 2. 4.*

*Cauſa riſus.*

*Ezech. 18. & 33. cap. & alibi.*

*Dimiſſa culpa manere pœnã.*

*Patet in Dauid ſuſtinente. 2. Reg. 12.*

pœnas hoc nomine poſtea non ſuſtinuit? *Pœnas gra-*
quarum partem ibi ſcriptura recenſet, reli- *uiſſimas.*
quum effectus ipſe demonſtrat. Filius ex
adulterio natus moritur, fruſtra Dauide ſe-
ptem dierum ſpatio in terra iacente, & in-
edia ſe macerante. Thamar filia ipſius ab
Amnon fratre ſuo violatur, Amnon ab alio
fratre occiditur: quanto putas patris cum
dolore hæc acta fuerunt omnia? Neque ve-
ro pœnarum finis. Inſurgit enim contra illũ
filius proprius Abſalon, & ea facit quæ in
prima concione audiuiſtis. Cur quęſo ſi pœ- *Reſponſio*
na ſimul cum culpa remittitur? *Quoniam* *hæreticorũ*
*blaſphemare fecit inimicos Domini*, propterea *Valet pro*
hæc ſuſtinere debuit inquis. Rectè ais: at cõ- *nobis.*
tra te agis. Cur enim hanc quoq; culpam & *Ibid. V.14.*
pœnam, non dimiſit viro illi, quem fuiſſe
*iuxta cor* ſuum teſtatur Deus? quiq; iuxta *1.Reg.13.14*
te omnia ſimul omnibus dimittit? Quaſi *Act.13.22.*
vero inter vos deſint peccatores, ſcandalis
pleni, quibus tamen plenam omnium re-
miſſionem & ſalutem promittitis, modo vt
vos vultis credant. O impoſturæ. At hæc ſcã-
dala inquis non ſunt tanta, quantum fuit
Dauidis. Bene ais, & pro nobis. Ideo enim *Item alia.*
vbi magnum peccatũ, magna pœna, vbi mi-
nus, minor, ſemper tamen aliqua remanet, ꝙ
nos docemus. Et ab hac quæ remanet pœ-
na eſſe poteſtatem ſoluendi in Eccleſia aſſe-
rimus. Denique ſi omnia ſimul dimittun- *Dauide cõ-*
*cluditur,*

 tur,

tur, cur idem Dauid clamat. *Amplius laua me ab iniquitate mea & à peccato meo munda me?* Quorſum hæc tua oratio o Dauid, an ignoras quod noſtri hæretici norunt eum cui dimittuntur peccata, vt tibi tua dimiſſa fuere lætum & ſecurum eſſe per omnia?

*Reſpondetur directè hæreticis Eos*

Verum & de hac quæſtione & de toto Indulgentiarum negotio tractādi copioſius alia expectanda erit occaſio: nūc hæc noueris velim. Hæreticos primo more ſuo pueriliter in verbis ludere, cum tamen INDVLGENTIA in eo in quo ab Eccleſia ſumitur ſenſu etiam in ſcriptura reperiatur. *Indulgentiam eius fuſis lachrymis poſtulemus,* ait Iudith ad Presbyteros. monens eos vt remiſſionem peccatorum, & relaxationem pænæ illius temporalis, quæ ipſis ab Holopherne imminebat, à Deo lachrymis obtineant. Secundo nec vnum locum à ſcriptura illos adferre in quo clare dicatur à Deo ſimul culpam & pænam dimitti: ſed verba remiſſionis, obliuionis, & ſimilia. ſicut illis placet interpretantes interpretationem & ſomnia ſua pro puro verbo Dei plebi ingerunt. Tertio ſimiliter nec iota vnum ex verbo Dei adducunt contra Indulgentias, ſed tantum vnum errorem ex altero nectunt, & ad omnia verbum illud Luciferianum NEQVAQVAM adiungunt dicentes, Nequaquam remanet pæna dimiſſa culpa, Nequaquam ſatisfac-

*1. Verbis ludere.*

*2. Scripturā euertere.*

*3. Nihil probare.*

tisfactoria opera reperiuntur, Nequaquam ſancti ſupererogarunt aliquid ; Nequaquam ſunt induigentiæ & ſimilia. Denique hinc habetur illos nec eſſe Euangelicos vt gloriantur, nec omnia ſua ex Euangelio euidenter probare, vt mentiuntur.

*4. Euangelicos nō eſſe.*

Concludo eo quod promiſi breuiter. Poteſtatem videlicet ſoluendi fideles, (Nam infidelibus, imo etiam iis qui ſunt in læthali peccato conſtituti Indulgentiæ, nihil proſunt) modo explicato, id eſt, à pœna quæ poſt ablatam culpam remanet in pœnitentibus, promiſſam quidem eſſe Petro illis verbis, *Tibi dabo claues regni cœlorum.* datam vero poſt reſurrectionem à Chriſto Ieſu, Proinde hæc poteſtas cum ſit Iuriſdictionis ab ipſo ſummo Pontifice in alios deriuatur. Ipſius enim eſt non ſolum ſimpliciter quod fit per Sacramenta, ſed etiam citius vel tardius quod fit per Indulgentias cœlum aperire. Sed de his vt dixi alias plura, nunc tempus eſt, vt ad alterā thematis partem tranſeamus, quæ ſic habet.

*Poteſtas hic ſoluendi cui & Vbi data*

*Mat. 16. 19*

*Ioan. 21.*

*Altera pars Thematis explicatur.*

ET IMPOSVERVNT Apoſtoli videlicet.

SVPER EOS ſuper aſinam & pullum.

VESTIMENTA SVA nempe veſtes ſuperiores, & pallia quibus vtebantur.

ET EVM, Chriſtum Dominum.

*Quæſtio de cæremoniis.*

DESVPER SEDERE FECERVNT. Quo auctore? quis præcepit? Num Deus? At de hoc ne verbum eſt in Euãgelio. Num Chriſtus? Sed is pro ſua humilitate ne deſideraſſe id quidem videtur. Quid ni hic exclamẽ? O Apoſtoli Domini nonne legiſtis vel audiſtis verba illa, quæ iuſſu Domini ſcripſit Moyſes? *Quod præcipio tibi hoc tantum facito Domino, nec addas quicquam nec minuas.* Et iterum. *Et nunc Iſrael audi præcepta & iudicia quæ ego doceo te.* Et reponit. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor.* Cur ergo vos iſtorum obliti neſcio quas vel traditiones, vel adinuentiones veſtras ſecuti, multa quæ vobis præcepta non erant additis? Quatuor noto: quorum quædam ipſi etiam decoro ſunt contraria. Primo quia veſtibus ſuperioribus, quæ ad ſplendorem maxime faciunt vos ſpoliatis, eo tempore, quo illis maxime vti oportebat, nempe in triumpho Magiſtri, & Domini veſtri: Secundo iiſdem veſtibus ornatis beſtias. Quam apte vel compte? Tertio Chriſtum deſuper ſedere facitis, abſq; vllo eius præcepto? Quarto vos tum ad alia: tũ ad cantica mirabilia, & incõdita in ipſis plateis, & foris populum incitatis, quibus & TVRBAS turbatis, & Principes Iudæos ac Phariſæos ſcandalizatis. Denique in his omnibus cur præceptum Domini violatis? Nonne agnoſcitis

*Obiectis hæreticorũ Apoſtolos tangit, qui agunt.*

*Deut. 12. 32*

*Deut. 4. 1.*

*Tum contra præceptum Dei.*

*Tum contra decorũ quadrupliciter.*

gnoſcitis dilectiſſimi voces hæreticorum, cæremonias Eccleſiæ impugnantium, & nos qui eas ſeruamus, tum ex his locis, tum ex Apocalypſi maledictis onerantium? Sed bono eſtote animo, bonos enim habemus patronos.

*Apoc. 22. 18*

Dicam quod ſentio. Exiguum id quidem videri quibuſdam argumentum, ſed apud me tanti eſt, vt hoc ſolum hæreticum me fieri prohiberet, duplici nomine. Primo quia inde cognoſcerem hæreticos illum ſpiritum habere, quem in prima concione depinximus. Spiritum inquam mendacij, qui docet eos & multa contra Eccleſiam confingere, & aliud verbis, aliud factis teſtari, ac ea agere quæ aliis vitio dant. Nam neque ipſi ſunt ſine cæremoniis, flectunt enim genua, caput detegunt, ſtant cum recitatur Euangeliũ, & alia quæ præſcripta nón ſunt faciunt. Secundo quia video ab ipſo mũdi & Eccleſię primordio, fideles ſemper aliquid addidiſſe, ad cultum diuinum, quod illis commiſſum non legimus. Vnde colligo eos qui id impugnant inſtrumenta eſſe diaboli. Ita Abel offert *de primogenitis gregum & de adipibus eorum. Enos cœpit inuocare nomen domini*, quod de aliqua cæremonia neceſſario intelligitur. Quia internè iam antea inuocabat nomen Domini, & Seth pater, & Adam auus Enos. Quid dicam de Noe, qui egreſſus ex arca fecit

*Adiungere cæremonias ſignum eius dés Eccleſiæ NOTA.*

*Duplex ſignum ſynagogæ Sathanæ.*

*Exempla additionis huius ab initio mũdi Gen. 4. 3. Ibid. 4. 18.*

cit

*Gen.9.20.* cit ſolemnem illam immolationem de omnibus mundis animalibus, quam pręceptam illi fuiſſe non legimus? Quamque tam charam habuit Deus, vt & ſuauiter illam odoratus dicatur, & ſtatim promiſerit ſe tali inundatione amplius terram non caſtigaturum. *Gen.12.8.* Quid Abraham? *Is ædificauit altare Domino, & inuocauit nomen eius.* Quo iubente? Nihil hac de re eſt in ſcriptura. Vbi nota interpretationem illius, quod de Enos dictum fuit, nempe inuocationem fieri per altaris extructionem. Idem poſtea fecit Iſaac filius ſuus. *Gen.26.27* Iacob vero nepos aliud excogitauit. Nam *Gen.28.18.* *tulit lapidem quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum fundens oleum deſuper.* O ſi fuiſſent ibi noſtri hæretici, quam arguiſſent illum ſuperſtitionis? Sed numquid omnia eiuſmodi euenta numerabimus? Centuriæ profecto exemplorum eſſent nobis concinnandæ. Quare hæc ſufficiant ad demonſtrãdam, tum veram Dei Eccleſiam, quæ id ſemper obſeruat: tum ſynagogam Sathanæ quæ impugnat.

*Obiectio de Idololatrarum cæremoniis.* At inquis Idololatræ vtebantur variis cæremoniis, quas abominabatur Deus: eos porro vos imitamini. Poſtremum iſtud *Mendax.* mẽdax eſt & blaſphemum; primum verum, Sed ad rem nihil facit. Cur enim Deus de- *Inepta.* teſtabatur Idololatras? Num quia immolabant, & alias eiuſmodi cæremonias exercebant?

bant? Minimè: alias tum iam dictos Abel, Noe, Abraham, tum multos alios qui idem factitabant viros ſanctiſſimos, ſibiq; chariſſimos abominatus fuiſſet Deus: ſed duplici alio nomine. Primo & primario quia *immolauerũt dæmoniis, & non Deo, diis quos ignorabant*, quo nomine idem Moyſes eos arguit. Secundo, quia in iſtis immolationibus ex cogitabant res rationi contrarias, vel potius diabolo id illos docenti obediebant, immolando & comburendo filios ſuos dæmoniis. Et hoc eſt quod ibi prohibet Deus, per Moyſen, verba eius ſunt. *Omnes enim abominationes, quas auerſatur Dominus, fecerunt diis ſuis, offerentes filios & filias, & comburentes igni.* Et ſtatim illud ſequitur. *Quod præcipio tibi, &c.* Vides quam aſtute hæc ſubticuerint hæretici? Talia igitur abominatur Deus, non quæ iuxta rationem, & ſanctam traditionem fiunt, quæ & erant ſemper in Eccleſia Dei, & futura ſunt vſq; ad conſummationem ſæculi.

*Duo in Idololatris deteſtatur Deus.*

*NOTA.*

*Deut. 32. etc*

*Deut. 12. 34*

Conſolario hæc eſt noſtra, & euidens ſignum nos eſſe in Eccleſia Dei quæ id ſemper obſeruauit. De lege naturæ iam dixi. In lege veteri idem habes. In ſolo templo Salomonis quæ non viſuntur, quorum a Moyſe, nihil præſcriptum fuit? In noua innumera ſunt. Ecce ex heſterna & hodierna hiſtoria decadem exemplorum pono. Primum

*Additamẽta bona, Tum in Vet. Teſt. multa.*

*Tum in hodierno facto decem.* mum eſt pridie factum in Bethania. vbi Maria ſoror Lazari precioſo vnguento vngit pedes Ieſu, reliquum vero *fracto alabaſtro effudit ſuper caput eius*. Fruſtra fremente Iuda Iſcariota. Deinde hodie quid fecerint Apoſtoli audiuiſtis, Iam enim quatuor eorum additamenta numeraui. Ne vero dubites ex ſuo illos adieciſſe, clarũ id eſt ex noſtro Matthæo, qui poſtquam dixiſſet, EVNTES AVTEM DISCIPVLI FECERVNT SICVT PRÆCEPIT EIS IESVS, ſubnectit quæ his peractis addiderunt, ea videlicet, quæ iam recenſuimus. Apoſtolos turba ſanctè æmulatur, in qua *alij acceperunt ramos palmarum & proceſſerunt obuiam Ieſu*. Alij STRAVERVNT VESTIMENTA SVA IN VIA, ſuperantes etiam quodammodo ipſos Apoſtolos in hoc officij genere. ALII CÆDEBANT RAMOS DE ARBORIBVS ET STERNEBANT IN VIA. Omnes vero clamabant, HOSANNA FILIO DAVID, BENEDICTVS, &c. Puerí agmen claudant, qui etiam ipſi in laudem Ieſu cantillant mirabilia. Quorum tamen nihil demandatum vlli eorum erat. Sed diſplicuit hoc forte Chriſto Domino. Diſplicuit ſanè Phariſæis, ita vt Chriſtum id concedentem reprehenderent. At Chriſto Ieſu adeo placuit, vt eos defendendo dixerit. *Dico vobis ſi hi tacuerint lapides clamabunt*. Et idem in eodem pro pueris, in ſimili vero negotio,

*Ioan. 12. 3.*
*Mat. 14. 8.*
*Ioan. 12. 13.*
*Mat. 21. 15.*
*Luc. 19. 40.*
*Mat. 21. 16.*
*Ioan. 12. 7.*
*Quibus id placuit.*
*NOTA.*

gotio, pro Magdalena contra Iudam facit. Quid ergo nos timebimus talia euenta & patronos habentes? Pro nobis ſunt omnes boni, pueri innocentes, turba æmulatrix boni, Apoſtoli, ipſe Chriſtus Ieſus: contra nos vero ſunt, Iudas traditor, Scribæ & Phariſæi, hæretici, & ipſe qui hos omnes incitat, & inſtigat malus dæmon. Quis ſeductus ab hæreticis hæc audiendo, & contemplando vt par eſt non exhorreſcat, & cõuertatur vt viuat? Quis Catholicorum ad perſeuerandum in ſuſcepta fide non animabitur: quis ad lætandum in Domino non excitabitur? *Lætamini* ergo (verbis vos Prophetæ alloquor dilectiſſimi) *in Domino, & exultate iuſti, & gloriamini omnes recti corde.* Et recordamini quæſo diligenter vltimorum verborum. Tum in omni actione veſtra. Solus enim qui recto corde eſt, iuſtus eſt, & ſolus veram habet lætitiã. Tum in iſto quod hodie peragitis proceſſionis negotio, ſit, inquam cor veſtrum rectum, ne in hoc puerorum ornatu nimium aut ornãdi eos ſtudium in ſuperbiam ac arrogantiam vos inducat, aut talia occurrant, de quibus in ſequenti concione dicemus. Si enim hæc deerunt, cætera ſalua erunt, præſertim ſi vti debent, omnia ad laudem Ieſu referantur. Id enim rectum cor primario requirit.

*Quibus diſplicuit.*

*Pſal. 31. 11.*

*Quomodo fieri oporteat.*

Sed

*III. PARS. Signa Eccleſiæ.* Sed tempus eſt, vt ad vltimum veniamus, & tum ex dictis tum ex quibuſdam alijs monumenta tam Eccleſiæ, quam ſynagogæ colligamus, ſingula thematis verba iterum ponderantes. Quorum primum eſt.

*1. Diſtinctio* INVENIENTES. Ait Chriſtus. Id vero fit per prædicationem verbi, quam diſtingui à ſolutione cuius poſtea fit mentio nos docemus, proinde in Eccleſia Chriſti ordinata ſumus: hæretici vero in ſynagoga Sathanæ miſcent omnia. Addit Chriſtus.

*2. Excurſio per orbem.* ASINAM ALLIGATAM ET PVLLVM CVM EA. Per quæ Iudæos & Gentiles deſignari oſtendimus. Quorum vtroſq; quærunt Catholici: tum ad nouum orbem currendo: tum Iudæos curando. Quis vero hæreticorum ad Indos, aut Iaponas iuit? Apud nos igitur non apud illos eſt Eccleſia. Nec ſolum iubet inuenire, Sed addit.

*3. Solutio.* SOLVITE. Quod fit tribus illis modis, qui in Eccleſia Catholica Romana cernuntur, honorantur, excercentur. A ſynagoga vero Sathanæ repudiantur, ridentur, blaſphemantur. Porro præcipit præterea Chriſtus.

*4. Adductio.* ET ADDVCITE MIHI Hoc fit per gratiam ipſius feliciter, per ſacerdotes Catholicos, qui quotannis multa Gentium millia adducunt ad Chriſtum. Sed & Iudæorum quicunq; conuertuntur, Catechiſmi & baptiſmi cauſſa huc recurrunt, raruſq; ( & neſcio

an

an quiſquam, ego ſaltē nullum noui, ex alijs multos etiam rabbinos ) ab hæreticis baptiſatur; vt vndiq; agnoſcas hic eſſe verā Chriſti Eccleſiam, alibi vero illius ſynagogam, qui in agro bene ſeminato, quod eſt Eccleſia ſuperſeminat hæresū zizania. Hæc ait Chriſtus. Quid vero Apoſtoli? Faciunt quod iubentur. Inſuper,

ET IMPOSVERVNT SVPER EOS VESTIMENTA SVA. adiungentes quæ iuſſi non fuerant. Vt hinc quoq; Eccleſiam, & è contrario ſynagogam cognoſcas ſicut iam diximus, & diduximus. Mirum ſanè iſtos homines tale ſeruitium velle præſtare Chriſto, quale ipſi à famulis ſuis impendi ſibi nolunt. Dic quæſo ſi quis non aliter tibi famulari vellet, quam vt omnia quæ agere deberet, in charta illi deſcriberes, & ad ſingulas tuas iuſſiones, chartam inſpiceret viſurus an quod mandas charta contineret, num famulum huiuſmodi probares? vt reor minimè. Idē de Chriſto tibi certo perſuadeas velim. Sed & ex myſtico ſenſu habemus hic aliam notā pro Catholicis (nam hæretici etiam clariſſimos literales ſenſus euertunt) per veſtimenta enim Apoſtolorum intelligere poſſumus, merita & ſatisfactiones eorum, quibus ſi nos ornati fuerimus ſuauiter ſedebit in nobis IESVS. Communicantur vero iſta nobis per Indulgentias,

*5. Additio.*

*Simile exēplum.*

*NOTA.*

*6. Meritorū communicatio.*

Ff

tias, quas nos acceptamus & deoſculamur, hæretici negant & blaſphemant. Denique in vltimis illis ex Themate propoſito verbis.

*7. Incommodorum ſuſceptio.*

ET EVM DESVPER SEDERE FECERVNT. Vltimum indicium Eccleſiæ & ſeruorum eius habemus. Ipſorum enim eſt non ſuum, ſed Chriſti Ieſu commodum, & gloriam quærere, etiam ſuis cum incommodis. Id fecerunt Apoſtoli, cum hodie propriis ſe ſpoliando veſtibus: tum poſtea ſanguinem etiam fundendo. Talium inter Catholicos ingens eſt numerus, qui omnium ſuarum voluptatum, commodorum, emolumentorum obliti, nihil aliud purè & ſincerè quærunt, quam vt quamplurimas lucrentur animas, in quibus per veram fidem, fideique condigna opera, hic ſedere, illic vero in gloria ſua gloriari queat Chriſtus Ieſus Dominus noſter, qui cum Patre in vnitate Spiritus ſancti viuit, & regnat Deus in ſæculorum ſæcula, Amen.

CON-

# CONCIO III.

## SPES.

*EVANG. CVM DOCTRINA.*

DVo ſunt quæ die hodierna queri de- *Duo querelæ.*
beo de vobis corā vobis. Vnum quod
tardè ad templum conueniatis, propter mo-
ram quam in filiis veſtris ornandis proceſ-
ſionis cauſa facitis. Quid inquis vituperas tu
tam pulchram, quæ in iſtis oris exerceri ſo-
let cum tot cæremoniis proceſſionem? Mi-
nimè; qui enim vituperē, quod in aliis con-
cionibus & laudaui, & defendi? Sed abuſus *1. Con. abuſus.*
reprehendo, nempe, quod pompæ à quibuſ-
dam exercentur, quod ſupra ſtatum veſtrū
huiuſmodi ornamenta conquiritis, quod
non virtutes ſed vitia æmulamini, quod or-
dinem templi peruertitis, quod aliqui forte
propterea ſacrum audire intermittatis. Iſta
non arguere non poſſum, & emēdationem
requiro: tam à vobis quam à præfectis tem-
pli, vt ſicut nos docuit Paulus Apoſtolus,
*omnia honeſtè & ſecundum ordinem fiant in* *1. Cor. 14. 14.*
*vobis*, ac tempeſtiue etiam cum paucis res
expediatur, vt concioni ſuum detur tem-
pus. Id enim eſt alterum de quo conque-
ror. Velle enim vos audio, vt cum tam refer-

*2. Contra murmurãtes de concionibus.*

ta adeſt hominum turba, aut nulla aut perbreuis fiat concio. Qua in re illos mihi imitari videmini (ſi tamen tam ſtulti aliqui reperiuntur) qui tempore meſſis complicatis ſtare volunt manibus, cum vero meſſis tranſit metere cupiunt, cum quod metant non inueniant. An ignoratis meſſis ſpiritualis nunc tempus eſſe: an non cernitis haud paucos nunc adeſſe qui raro admodum ad conciones veniunt? Iſti igitur iuuandi eſſent, & longis & efficacibus concionibus, vt dura illorum corda, ad contritionem tandem emolliantur, ſi forte hac ratione conuertantur & viuant. Porro æquum ne ſit, vt his omnibus ſuperſedeat verbi Dei prædicator, vt veſtris abuſibus, & tarditati locus detur? Voſipſi iudicate, nos ad noſtra venimus.

*A ſimili.*

*PROP. Euang. cum doctrinis.*

Et in hac quidem concione texemus hiſtoriam facti, & triumphi quem hodie exercuit Chriſtus Ieſus Dominus noſter, & quē in proceſſione adumbratum vidiſtis. Conſcripſerunt autem illam omnes quatuor Euangeliſtæ, quorum nos ita veſtigiis inſiſtemus, vt noſtri Mathæi primam curam geramus, contextum ſermonis ipſius explicantes, & doctrinas ſalutares inde haurientes ad laudem & honorē Chriſti Ieſu, noſtramque vtilitatem, ac ſanctæ ſpei in nobis incitamentum.

Tem-

Tempus quo hęc acta ſuere deſcribit nobis D. Ioannes, qui aſſerit, *ante ſex dies paſchæ*, id eſt die heſterna ſcilicet Sabbatho, ſub noctem veniſſe Ieſum *Bethaniam*, vbi cœna & vnctione tam pedum, quam capitis Ieſu vnguento precioſo à Magdalena : & aliis quæ ibi deſcribuntur peractis, pernoctauit Saluator noſter. *In craſtino autem*, qui dies hodiernus eſt, cum diſcipulis ſuis, & turba quæ ad videndum Lazarum conuenerat in viam ſe dedit.

*Ioan: 12. 1.*

*Ibid. v. 12.*

Et cvm appropinqvassent Ierosolymam. Confectisque aliquot itineris ſtadiis.

Et venissent Bethphage. Duo alij Euangeliſtæ Bethaniæ faciunt mẽtionem, vel quod inde diſceſſiſſet, vel potius quod locus ille prope montem olìueti, Bethaniæ generali nomine vocaretur, ſicut & Vilnæ, & Cracouiæ fluuioli vocabulo variæ villæ illi adiacentes nuncupantur. Hæc ob concordiam Euangeliſtarum. Quid vero Bethphage ſignificet dixi, in prima concione, & adieci figurare pœnitentiam. Vnde hîc illud notes cupio. Ieroſolymam per Bethphage iter eſſe. Nullus enim peccator ad viſionem pacis, & gratiæ diuinæ quod verbum Ieroſolymæ deſignat, aliter quam per pœnitentiam perueniet vnquam. Auditis auditis inquam, qui nondum hac

*Concordia Euangeliſt.*

*Iter ad viſionem pacis.*

quadrageſima confeſſi eſtis? O miſerum & miſerabilem ſtatum veſtrum. Ieroſolymam viſionem pacis quã Chriſtus nobis reſtituit ſua in reſurrectione appetitis? Fruſtra. Non enim eam habebitis, ſed turbationem conſcientiæ, ſed iram, ſed indignationem Dei omnipotentis. *Quia non eſt pax impiis dicit dominus.* At confitebor inquit. Ad hoc enim ſatis eſt temporis. Vtinam vero illud omnes ſerio dicatis. ad hoc autem poſtremum ego dico. Temporis non adeo multum ſupereſſe pro ijs, qui *computruerunt iumenta in ſtercore ſuo*, propheta atteſtante. In quorum numero vide ne tu reperiaris. Ergo deſperabo. Non ſic dicas, ſed dic parabo me perquam diligenter, vt negligentiam diligentia reſarciam, quod facias quæſo ſerio & exacte. Tua enim res agitur. Ego vero opto & à domino precor tibi licet ſeram, veram tamen & validam contritionem & pœnitentiam Hac enim ratione pro deſperatione, ſpes illuceſcet in mente tua fietq; vt

*Iſa. 48. 22.*
*Non differant.*
*Ioel. 1. 27.*
*Non deſperent.*
*Sed remedium adhibeant.*

AD MONTEM OLIVETI peruenias, nempe vt per abſolutionem ſacerdotalem, oleum miſericordiæ diuinæ impinguet caput tuum. Faxit IESVS. Facietque procul dubio ſi tu iam iam hac ipſa die ad integram & doloris plenam confeſſionem te diſpoſueris, Satis enim dilationi indultum

tum eſt. Caue ergo ne dilatio in putredinem, putredo in contemptum contemptus in obſurdeſcentiam, hæc vero in reprobationem, quod abſit vertatur. Ecce tibi ſcalas diaboli. Ecce è contrario exemplum Chriſti, qui è Bethania quæ domus obedientiæ interpretatur, *factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis*, ad BETHPHAGE quæ rigorum iuſtitiæ diuinæ ſignificat, cui etiam Chriſtus IESVS de tote rigore in omnibus ſatisfecit, acceſſit ad MONTEM OLIVETI vbi miſericordiam pro nobis obtinuit, ac tandem IEROSOLYMAM, hoc eſt ad viſionem pacis peruenit. Hæ ſunt ſcalæ quibus ad cœlum aſcenditur. Tu ſequere humiliter. Obedias vt ille patri: ita tu & illi & matri, proinde obediendo ſeriam age pœnitentiam, quam miſericordia ſequetur, miſericordiam vero viſio pacis. Fiat fiat. Sed pergamus in hiſtoria.

*ſcalæ infernales.*

*Chriſti exempla ſcalæ cæleſtes.*

TVNC, inquit noſter, nempe cum veniſſet IESVS ad Bethphage.

MISIT DVOS DISCIPVLOS. Qui nam fuerint non conſtat, aliis alios ponentibus. Neque vero officit quicquam id nos ignorare: illud vero etiam proficit notare, Chriſtum Ieſum binos diſcipulos ſolitum fuiſſe mittere. Sic poſtquam elegiſſet diſci-

*Binos mittit Chriſtus*

*Luc.10.1.* pulos, *ſeptuaginta duos, miſit illos binos, ante faciem ſuam, in omnem locum & ciuitatem quo ipſe erat venturus.* Triginta ſex videlicet paria formando. Sic ad parandum paſcha, *mi-*
*Luc.22.8.* *ſit Petrum & Ioannem.* Ita etiam hic vt audis, & ſi Chriſtianus es credis, non factum abſque magna cauſa. Myſteria quæ ſancti,
*Greg.hom. 17.in Euang.* (præſertim D. Gregorius) tradunt omitto. Literam conſidero, & aio non eſſe curandas hæreticorum voculas, quibus religioſos
*Ratio literalis obſeruanda & ſeruanda.* binos ambulantes irrident. Atque vtinam & religioſi ſemper, ac vbique id faciant, & alij præſertim Eccleſiaſtici, & adoleſcentes eos, imo ipſum Chriſtum imitentur! Vt ea ratione non ſolum Deum & Euangelium, ſed etiam hominem dictorum ac factorum ſuorum cuſtodes & arbitros habeant. Certè opus hodiernũ perbelle vnus expedire potuit, nec fuit res vllius periculi: nihilominus duo mittuntur à Chriſto. Quanto magis ergo in actionibus lubricis id erit obſeruandum? Seruate quæſo. Itaque Ieſus mittit duos.

DICENS EIS. Et dicendo mandans.

ITE IN CASTELLVM QVOD CONTRA
*Caſtellum ignoratur.* VOS EST. Neque hic conſtat, quod caſtellum hoc fuerit. Apud me certum eſt, nec Ieruſalem, nec Bethphage, (vt quidam autumant) ſed aliud quodpiam oppidum aut pagum fuiſſe. Dicitur autem CONTRA, Non

quod

quod Apoſtolis contrarium, ſed quod è regione fuerit. Subdit.

ET STATIM INVENIETIS. Proinde non multum in quærendo laborabitis. Inuenietis autem,

ASINAM ET PVLLVM CVM EA. De abſentibus tanquam de præſentibus loquitur. Quia qui aberat corpore, aderat diuinitate. Idcirco non ſolum hæc, ſed etiam maiora, ac planè interna, & quæ ex voluntate humana pendent prænunciat. Deus enim erat. At noſtri aſtrologi, neque ſunt dij, neque hac in parte cum Deo ſentiunt, & tamen etiam ipſi talia prædicunt. Quo authore? Deus ſcit, nec hominibus difficile eſt coniicere. Quidquid enim eſt contra prohibitionem ſponſæ Dei, id non ex Deo, ſed ex inimico Dei ſit neceſſe eſt. Qui vt eſt ſagax, quædam ſuſpicari poteſt, vt vero eſt mendax, multa & vltro, & quia ignorat mentitur. Ideo etiam multa narrantur falſa. Nihilominus audiuntur etiam ab illis à quibus minimè deberent. De aſtris inclinantibus quæ à talibus in excuſationem afferuntur, poterit aliquid aliquando dici. Nunc duo triaue cupidus ſalutis eorum, Deus ſcit, moneo: Primum ne velint aſtris dare, quod ſoli Deo proprium eſt, noſſe voluntates hominum. Alterum vt velint de præteritis bonam pœnitentiam agere, & in poſterum à peccatis abſtinere. Ad-

*Aſtrologia iudiciaria vnde.*

*Remedia tria.*

do & tertium. A principio Eccleſiæ ſemper Aſtrologiam iudiciariam male audiviſſe, ne ergo velint obſecro Catholici mei, de iudicio totius Eccleſiæ iudicare. Peſſime enim id ſemper omnibus ceſſit. Hæc occaſione tum dictorum tum dicendorum à Chriſto. Qui quia Deus fuit, ſciuit dominos animalium iſtorum ea dimiſſuros, quod vtiq; ex voluntate eorum pendebat. Noſtri Aſtrologi, quia neſciunt, talia ſemper taceant. Cæterum quid hæc duo animalia ſignent diximus in ſecunda concione, dicturi & in vltima, quomodo tropologice animã & corpus noſtrum denotent. Iam vero ſequentia proſequamur.

*Reiectio.* SOLVITE ET ADDVCITE MIHI. Inquit præcipiendo IESVS. Quæ poteſtas his verbis detur & de dubijs quę circa diuerſam Euangeliſtarum narrationem ocurrebant egimus in præcedentibus concionibus. Proinde hic nihil reſtat aliud, quam vt ad dominum cõuertam ſermonem meum, & dicam. Domine IESV, tu qui *ſcrutaris corda & renes Deus*, tu qui ſcis omnia, intueris omnia, noſti etiã qui nam ex populo hic congregato ASINAM ET PVLLVM animam videlicet & corpus ſuum alligatam habeant, illis funibus quos commemorans Dauid *Funes peccatorum circumplexi ſunt me.* Tu inquam qui hæc noſti vniuerſa, moue corda eorum. O verbum

*Oratio ad IESVM NOTA TOTVM.*

omni-

omnipotens, vt ſolui & adduci ſe ad te patiantur, à ſucceſſoribus illorum, quibus tu hęc dixiſti, & poteſtatem faciẽdi dediſti. Fac benigniſſime, fac miſericors Ieſu, ne in duplex illud deſperationis barathrum incidant, ſed potius per contritionem, ſpem bonam & viuam de bonitate tua concipiãt. Sed & ad vos me verto dilectiſſimi, & nomine Chriſti Ieſu cuius legatione ad vos fungor promitto, ſanctéque polliceor, ſi vos feceritis quod in vobis eſt, quodq́; debetis, illũ omnino præſtiturum quod poſtulamus & oramus. Audite auribus obſecro, & ne obſurdeſcatis obteſtor. Quid ergo faciemus? inquitis. Vtinam compuncti ſerio id dicatis. Facietis ergo quod in dictis Chriſti ſequitur, *Oratio ad populum.*

ET SI QVIS VOBIS ALIQVID DIXERIT, Si quiſpiam reſtiterit, ſi obicem poſuerit, ſi ne ſolui vos patiamini ſuaſerit. O quot ſunt tales, & talia? Hinc ſocij tanquam diaboli incarnati à bono retrahunt: inde conſuetudines malæ, & inueteratæ difficultates ſuggerunt: iſthinc odia, rancores, nequam amores, obligatio quoq; iuſtè reſtituendi, quod iniuſtè poſſediſti, & alia generis eiuſdẽ, rem quaſi reddunt impoſſibilem. Ipſi denique dæmones infernales mille artibus, cuniculis mille, ne per pœnitentiam ad Dominum conuertamini & viuatis prohibent. Vos vero quid ad hæc omnia? magna ſanè, crudelia, ac terribilia quæ multis multos *Impedimẽta pœnitentia.*

elicue-

elicuerunt ſudores. Quid? Illud quod in ſequentibus dat nobis præſentiſſimum remedium Chriſtus.

*Remedium efficax eſſe in Chriſtū liberalem.*

DICITE aiebat & imperabat diſcipulis olim, idem vobis nunc inquit Ieſus, DICITE, Reſpondete ad hæc omnia omnibus. Et reſpondete tum mente: tum ore: tum opere.

QVIA DOMINVS HIS OPVS HABET. Præceptum Dei eſt, ita vult fieri, vos tacete, obmuteſcite, non vobis ſed Deo pareo, Indiget Deus mea conſcientia, vult vt illā permittam ſolui, & ad ſe adduci. Quid? Erone tam inobediens, & rebellis Deo, vt id ei negem? Abſit à me tanta ſtultitia, tanta barbaries. Quis barbarus petenti regi ſuo, rem aliquam paruam denegauit vnquam? Itane ego ipſis barbaris ero barbarior? Idque reſpectu Dei mei, creatoris mei, Chriſti Ieſu mei, qui me proprio ſuo redemit ſanguine? Huic ego rem tam paruam, conſcientiam inquam meam negabo? Abſit hoc à me. Abſit. Itaq; clamo iterū iterumq́ue: non vobis ſed Deo obedio. Et ecce ſtatim operi me accingo, & ad pedes confeſſarij prouoluo, vt ipſe & interrogando inſtruat, & abſoluend o ſoluat, & ad Chriſtum me adducat. Ita facite efficaciter, ſic enim promiſſi illius à me facti efficiemini participes. Et lumen ſanctæ

*Exemplo etiā barbarorum.*

ſanctæ ſpei, tanquam lucifer orietur in cordibus veſtris. Quid? Eritiſne vos iſto Iudæo cuius hæ beſtiæ erant, erga Ieſum Saluatorem veſtrum parci & reſtricti magis? Nam quod Chriſtus prædicens inquit.

*Et Iudæo de quibus in Euangelio.*

ET CONFESTIM DIMITTET EOS. Statim effectum ſortitum eſt ſuum. Idem igitur vos quoque facite. Nec vero hoc ſolum, ſed omni omnino tempore, quoties te in aliquod peccatum læthale (quod abſit) incidere contigerit. Ne differas obſecro confeſſionem vſque ad aliam quadrageſimam, ſed illico dic in mente tua DOMINVS IESVS OPVS HABET, puritate conſcientiæ meæ, quam etiam exigit à me. Purgabo igitur illam CONFESTIM per pœnitentiam. Vult vt ſoluatur à peccatis quibus conſtricta tenetur, CONFESTIM igitur dimittam, imo procurabo, vt qui id habent officij, illud circa me exerceant, nec differam vllo modo amplius. O quàm eximia eſt iſta ſententia. O quam cuperem vt eam memoriæ imprimeretis veſtræ, & in praxim reducere tis. Non ſolum in eo quem explicuimus caſu: ſed etiam in multis aliis. Valet enim plurimum ad excitandam mentem noſtram ad quoduis opus pietatis. Do aliquot exempla, vos pro tempore & neceſſitate formate vobis plurima. Itaque cum videris famelicum pane, pauperem veſte, peregrinum hoſpitio, ægrotum

*Vſus verborum iſtorũ mirabilis.*

*1. Ad pœnitendum CONFESTIM.*

*2. Ad exercenda opera miſericordiæ.*

ægrotum cura, mœſtum conſolatione, in-
carceratum viſitatione indigere. Dic in mé-
te tua, Ecce DOMINVS HIS OPVS HA-
BET nempe, vt ego ſoluam burſam meam,
& faciam largam eleemoſynam, vt cætera o-
pera miſericordiæ exerceam. Quia ore ſuo
*Mat. 25. 40* proteſtatus eſt Chriſtus Ieſus quicquid tali-
bus impenditur ſibi impendi, faciam ergo
CONFESTIM & incunctáter, ne vel incre-
dulus Domino, vel illiberalis erga Dominũ
*3. Ad corpus domãdum.* Ieſum eſſe videar. Præterea valet hæc medi-
tatio eiuſque praxis, tum ad corpus compri-
mendum, tum ad familiam rectè gubernan-
dam, ac in ſpiritu iuuãdam. Verbi cauſa: Di-
ces, DOMINVS ſicut illis quæ recenſui in
pauperibus: ita in me ipſo OPVS HABET,
vt mentem orationibus, corpus ieiuniis, di-
ſciplinis, & ciliciis atteram. Faciam igitur &
alacriter faciam præſertim quando à confeſ-
ſario imponuntur mihi talia opera quæ ſa-
*4. Ad familiam iuuãdam.* tisfactoria vocantur. Similiter DOMINVS
OPVS HABET, vt liberi, diſcipuli, familia,
familiareſque ac amici mei per pœnitenti-
am conuertantur ad illum. Dabo igitur o-
peram, vt alios quidem exhortatione, alios
vero etiam increpatione ſanctaq; compul-
*Luc. 14. 23.* ſione (compelle intrare ait Chriſtus ſub
quadam parabola) ad confeſſionem addu-
cam. Vides quantum hæc valeant, ſi dili-
genter ponderentur, & in vſum reducantur.

Agite

Agite igitur rogo, & fructum referetis vberrimum: nempe tum hîc tam in vobis, quã in aliis quos iuueritis, ſpem viuam: tum in vita illa mercedem copioſam.

*Alius verborum iſtorum vſus ad impedimenta ſemouenda.*

Deniq; circa illa vltima verba. ET CONFESTIM DIMITTET EA duo alia contemplanda, & in vſum reducenda veniunt, quorum alterum te, alterum aduerſarium tuum tangit, vtrumque vero tibi proderit. Primum eſt, vt non ſolum iumenta tua te ipſum videlicet ſolui patiaris, ſed etiam CONFESTIM dimittas EA quæ impediunt, alias enim fruſtra laboratur. Sicut enim nihil effeciſſent Apoſtoli, ſi Dominus iumentorum iſtorũ permiſiſſet quidem ea ſolui, ſed dimittere ea noluiſſet: ita neq; tibi abſolutio quicquam proderit, ſi tu dimittere nõ voles quæ impediũt ne adducaris ad Chriſtum. Iſta vero ſunt odium contra proximum, priuatum vlciſcendi deſiderium, res alienę quas per rapinas, furta, vſuras, & ſimilia poſſides, cõcubina quã domi alis, ac cætera eiuſmodi, quæ ſi tu non dimittis neque Deus dimittet tibi peccata, etiamſi abſolutio acceſſerit, ea enim fruſtra, imo male adhibebitur. Melius eſt igitur inquis non confiteri. Iã alias dixi, ꝙ bonũ non eſt, melius dici non poſſe. Cũ ergo non cõfiteri præcipiẽte vt id facias Eccleſia bonũ non ſit, imo malũ ſit, quomodo melius dici poterit? Meli⁹ imo optimũ erit, ſi tu repudiatis

*Occupatio communis obiectionis.*

tis & eiectis omnibus impedimentis, & ritè confiteberis, & in poſterum omnes peccandi occaſiones diligenter caucbis.

*Tertius ꝟ. ſus ad firmam faciendam reſolutionem.* Aliud ſcias & notes cupio. Sathanam valde pertimeſcere ſeriam & cōſtantem animi noſtri bonam in partem inflexionem, & obfirmatum propoſitum. Quam diu enim ſiue dum tentamur, ſiue cum aliquid boni eligere volumus fluctuantes nos conſpicit, & tales quales deſcribit ſapiens dicens, *vult & nō vult piger*, tam diu vexat, inſtat, vrgetque acriter, vt mala quidem elegantur, bona vero aut differantur, aut omnino repudientur. *Prou. 13. 4.* Experientia id quotidiana quilibet in ſeipſo diſcere poterit, dummodo oculum mentis aperiat, & quæ agenda ſunt intueatur diligenter. E contrario vero, quoties quis virili pectore dixerit in animo ſuo: hæc quidem facio omnino quia DOMINVS HIS OPVS HABET, illa vero contemno & deteſtor, quia DOMINVS HIS OPVS non HABET, imo abominatur ideo & ego cum ipſo execror ea, mirum eſt quam CONFESTIM Sathan plerumq; DIMITTIT nos. plerumque inquam, quia neque ſemper id facit, nec ad multum tempus: proinde non ſimus ſecuri, ſed pacis tempore arma comparemus, quibus paulo poſt pugna inſtante opus nobis erit. Iſta ſint ex occaſione prolatorum verborum documenta, & ſanctæ

ſpei

ſpeì in nobis incitamenta: Iam reliquum hiſtoriæ proſequamur. Et Diuus quidem Matthæus, qui hebraice hebręis ſuis Euangeliũ ſcripſit more ſibi conſueto, ex prophetis dictis, factisq; fidem adſtruens inquit.

HOC AVTEM FACTVM EST VT ADIMPLERETVR Quibus verbis euentum potius quam cauſſam ſignificat. Non enim ideo hæc facta ſunt, quia prædicta fuere, ſed potius ideo prænunciata, quia fieri debuere. Cur vero ita fieri debuerunt dicam paulo poſt. Sequitur in Diuo Matthæo.

*Effectus pro cauſſa.*

QVOD DICTVM EST PER PROPHETAM, In ſingulari vnius tantum prophetæ facit mentionem licet teſtimonium hoc è duobus compoſitum ſit, quia Zacharias maiores hic partes habet. Sed neq; hunc ad verbum citat, neq; ſecundum Hebraicam veritatem, ſed iuxta ſeptuaginta Gręcos interpretes, quod & aliàs plerumq; facit. Quid vero narrat?

*Prophetia è duobus cõpacta.*

DICITE FILIÆ SION. Hæc verba Iſaiæ ſunt, pro quibus Zacharias habet. *Exulta filia Sion, iubila filia Ieruſalem.* Coniunge vtrumq;, & plenum ſenſum ac lætitiam habebis. Idem enim eſt Sion & Ieruſalem. Hæc vero Sion ſæpius dicitur, propter arcem quæ ibidem in monte Sion apparebat, à Dauide inchoata, à filio vero eius Salomone perfecta, Filiam vero vocat phraſi He-

*Iſai. 62. 11. Zach. 9. 9. Filia Sion Ieruſalem per Hebraiſmum.*

bræis communi. Sicut enim per filium aſinæ (vt habet Zacharias) aſinus: ita per filiam Sion, Ieruſalem intelligitur. Alloquitur autem non muros, ſed ciues & incolas Ieroſolymitanos, vt notat D. Hieronymus, & res ipſa loquitur. Porro quod ſequitur.

*Cur vterq; propheta connectitur*

ECCE REX TVVS VENIT TIBI. Ex Zacharia eſt. Pro quo Iſaias habet. *Ecce ſaluator tuus venit.* Cur vero Euangeliſta vtrumq; prophetam ita connectit? Nempe vt ſciant Iudæi, de eodem locutum fuiſſe vtrumq;, & vnum exponere alium. Nemo enim dubitabat Iſaiam ibi de Meſſia loqui, idcirco coniungit ei Zachariam vt concordiam demonſtret vtriusque. At vero pro verbo quod addit Matthæus.

*Concordia prophetarũ & Matth.*

MANSVETVS. Zacharias plus habet. Ait enim *iuſtus & ſaluator* (in quo verbo cum Iſaia vt vides convenit) *ipſe pauper.* Quod vltimum expreſſit per manſuetudinem Matthæus, quia id illi cumprimis neceſſarium fuit ad conuincendos Iudæos. Iſta enim fuit primaria cauſſa, & cur hæc fecerit Chriſtus, & cur id prædixerit propheta. Nimirum vt Iudæi agnoſcerent Meſſiam regem ſuum, non talem qualem ipſi ſibi fingebant, & hucusque imaginantur, ſuperbum, pompoſum, magnificum, ſed talem qualem depinxit

*Cauſſa primaria prædictionis.*

pinxit ipſorummet vates, pauperem, humilem, manſuetum futurum; propterea addit.

ET SEDENS SVPER ASINAM. Quod vtique eſt contra dignitatē regum huius mundi, prout & nos in alia concione diximus, & experiētia probat. Vilium enim villanorum, id eſt proprium.

ET PVLLVM FILIVM SVBIVGALIS. Qua de re quoad ſenſum literalem, nempe an in vtroque animali ſederit Chriſtus, vt hi duo teſtantur, vel in ſolo tantum pullo, vt tres alij Euāgeliſtæ loqui videntur, diſſeruimus in præcedenti cōcione, nec dubitamus vtroque eſſe vſum. De ſenſu vero tropologico agemus in ſequenti. Hic vero quid? De ſcopo Chriſti Ieſu præcipuo, tum cōtra Iudæos qui verbis: tū contra quoſdam Chriſtianos qui factis ei reſiſtunt, agere paucis inſtitui. Et ſcopum quidem ex parte iam audiſtis. Is enim fuit : tum vt Iudæos de aduentu ſuo, qualis nam eſſe debuerit inſtrueret : tum vt nos omnes humilitatem doceret. Et vero repugnare illi Iudæos, non adeo mirum videri debet. Obſtinati enim ſunt in ſua quam de magnificentia Meſſiæ conceperūt falſa opinione: quam ſi deponere vellent, ſtatim fierent Chriſtiani. Ceterū eos qui à Chriſto nomen habent, facto & operibus ipſis, ei repugnare, ac

*Reiectio duplex.*

*Scopus Chriſti duplex impugnatur.*

*Tum à Iudæis verbis;*

*Tum à Chriſtianis factis.*

pompis, luxui, dignitatum tam ſæcularium quam Eccleſiaſticorum aucupationi, honorum ſiue per fas, ſiue per nefas conſectationi, ac procurationi, ita in hiare, ac ſi Chriſtus Ieſus dux & imperator illorum, hac & non contraria proceſſiſſet via, id equidem cuiuis viro prudenti iuſtè mirũ videri debet. Demus ſingularia aliquot documenta.

*Iudæos confutat Chriſtus quinq; modis.*

Et quod ad Iudæos quidem attinet: hos ipſe Chriſtus die hodierna quinque conuincit modis. Etenim ſe illum ipſum quem expectabant eſſe Meſſiam: tum verbis: tum factis: tum teſtimonio populi, tum poteſtate quam exercet, tum ipſorũ infantum confeſſione ita oſtendit, vt hæc à Prophetis prædicta fuiſſe demonſtret vniuerſa. Quis ſi mens excæcata & indurata non ſit, plura vel deſiderare queat? Verba iam audiſtis. DICITE FILIÆ SION, ECCE REX TVVS VENIT TIBI. At hæc inquis tum temporis non fuerunt dicta. Quis nouit dicta non eſſe? Cum certo nobis conſtet multa & acta & prolata fuiſſe quæ ſcriptis mandata non ſunt. Certè ſi tum temporis dicta non fuere, multo iam ante à propheta dicta ſunt, quæ cum expleri oculis ſuis cernerent Iudæi, inexcuſabiles omnino eſſe illos quod Meſſiam non receperint quis non videt?

*1. Verbis.*

*2. Factis.*

Factis autem & opere ipſo multo id etiam euidentius demonſtrat. Non ſolum hãc

quam

quam audiuimus Zachariæ, ſed etiam aliam magni Patriarchæ Iacob prophetiã hac ſua profectione explens. Iacob enim loquens de futuro Meſſia ad filium ſuum Iudam, ex quo is naſci debuit, hæc inter alia ait, *Ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem, ô fili mi aſinam ſuam.* Quid prohibet nos hæc in ſenſu hiſtorico de actu hodierno intelligere? Quã facile enim fieri potuit, aſinam hanc & pullum quibus vſus eſt Chriſtus Meſſias, ipſo in templo exiſtente ligata fuiſſe vel ad vitem aliquam, quæ craſſæ in illis partibus (imo & in Italia, & alibi) domibus adhæreſcere, & vſq; ad tecta aſcendere ſolent, vel ad vineam aliquam, quæ magnis domibus adnecti in Ciuitatibus ſolent? Verum hoc quidem incertum illud vero certiſſimum eſt, in ſenſu myſtico & figurato hanc prophetiam ſedente Chriſto Domino in animalibus iſtis expletam fuiſſe. Iam enim demonſtrauimus ex ipſo etiam Zacharia Propheta, per aſinam & pullum Iudæos & Ethnicos denotari, qui die hodierno typicè alligati fuerunt viti illi de qua ipſe Saluator. *Ego ſum vitis vera, & pater meus agricola eſt.* Et iterum, *Ego ſum vitis vos palmites.* Nonne id euentus probauit? & quod mirere magis, hac ipſa qua hæc acta ſunt die. Iudæos enim plurimos credidiſſe Chriſto clarum eſt tum ex eorum cantu: tũ ex defenſione Ieſu, qua ab illis qui credide-

*Explicatur prophetia Iacob.*
*Gen. 49. 11.*
*Tum litteraliter.*
*Tum allegoricè.*
*Ioan. 15. 1.*
*Ibid. v. 5.*

runt ſcribarum calumnias arcet. Sed & Gentilium quoſdam ibi adfuiſſe expreſſe teſta-
*Gentiles huic ſpectaculo adfuerunt.* tur D. Ioannes aſſerens, *Gentiles ad Philippum veniſſe & dixiſſe, Domine volumus Ieſum videre.* Quod non de ſimplici aſpectu intelligendum eſſe euidens eſt, ſic enim iam illum tum inſidentem aſino, tum in turba viderant, ſed doctrinã ex ore ipſius audire geſtiunt. Quorum deſiderio ſatisfactum fuiſſe à Chriſto, apud me dubium non eſt vllum, licet D. Ioannes diuertens ſermonem id ſubticuerit. Plenam tamen tum Iudæorum: tum Gentilium conuerſionem Apoſtolis reliquit. Quod cum alibi ſæpe: tum in reſponſo hîc Philippo dato ſub metaphora, grani & exaltationis ipſe Chriſtus ibidẽ teſtatur. Quid? quod Patriarcha Iacob in illa ipſa prophetia id expreſſis prædixerit verbis, aſſerens quod
*Gen. 49. 10.* ille ipſe qui alligare debuit, *pullum ſuum & aſinam, erit exſpectatio gentium.* Non relinquitur igitur hac de re vllus amplius dubitandi locus.

*3. Confeſſione populi.* Coarguit præterea Chriſtus Ieſus Scribas & Phariſæos incredulos, populi huius confeſſione, quam paulo poſt à noſtro Matthæo deſcriptam audiemus, & põderabimus. Coarguit & poteſtate quam magna cum auctoritate exercet.
*4. Poteſtate quã exercet.* De qua idem D. Matthæus, *Intrauit Ieſus in templum Dei, & exciebat omnes*
*Mat. 21. 12.* *vendentes & ementes.* Quam etiam ad rem

adducit Saluator Iſaiam Prophetam. Deni- *Iſa.56.7.*
que coarguit eos ipſis quas pueri depromũt *5. Puerorũ*
in laudem eius canticis. Quod adeo malè *laudibus.*
habuit Iudæos, vt dicat noſter Matthæus,
paulo poſt hodiernum Euangelium, *viden-*
*tes principes ſacerdotum & ſcribæ mirabilia quæ* *Mat,21.15.*
*fecit, & pueros clamantes in templo, & dicen-*
*tes Hoſanna filio Dauid, indignati ſunt.* Quid
vero Chriſtus Ieſus? Tam egregiè illos de-
fendit, vt etiã notet hæc à Dauide olim præ-
dicta fuiſſe illis verbis. *Ex ore infantium &* *Pſal.8.3.*
*lactantium perfeciſti laudem.* Vides quam be-
nignè & ſapienter ſapientia patris omnia
quæ tunc acta fuerunt prophetiis & figu-
ris comprobat, vt ſuos Iudæos ſaluos fa-
ceret?

Quod ſi illis obſtinatis non profuit, no- *Hinc duæ*
bis quæſo proſit. Proſint inquam hæc non *pro Chri-*
ſolum ad confirmandam fidem rectam, cõ- *ſtianis do-*
tra perfidiam tam Iudaicam, quam hære- *ctrina.*
ticam: ſed etiam ad mores inſtruendos
noſtros. Qua de re multa dici poſſent,
verum aliis omiſſis duo accipiamus, vnum
fugiendum, ſectandum alterum. Cauen- *1. Vt non*
dum eſt nobis inprimis, ne his Iudæis ſi- *Iudæos in*
mus perſimiles: tum in obſtinatione, tum *ſuperbia &*
fingendo nobis Chriſtum Meſſiam pompo- *obſtinatio-*
ſum, magnificum, laudis & honoris appe- *ne.*
tentem, ac ambitioſum. Ecquis eſt inquis

Chriſtianorum tam inſipiens qui id faciat? Iam dixi verbis quidem id forte aſſerere neminem : at factis & operibus, quam multi ſunt omnis ſtatus homines, qui ita ſe gerũt, ac ſi dux illorum Ieſus talis eſſet, qualem futurum Iudæi ſibi fingunt? Quot tam ex ciuili, quam ex Eccleſiaſtico ordine reperiuntur, qui non ſolum inordinato, ſed etiã peruerſo appetitu proprij honoris laborant? Quid inter hæc eſt differentiæ? Inordinata gloriæ appetentia eſt, cum quis honorem ſibi verè debitum, non purè & ſyncerè ad laudem Chriſti Ieſu refert, ſed ad ſeipſum deriuat. Peruerſus vero cum minimè ſibi conuenientem maximè quærit, & ita quærit, vt ad eum adipiſcendum mediis iniquis cum peccatis etiam mortiferis coniunctis vtatur. O prauitatem peſſimam! Singularia non recenſeo, ne lacuna mota nimis fœteat: remedia do duo. Vnum meminiſſe iſtorum Iudæorum, ne tum in imaginatione quam habent de pompoſo Meſſia, tum in obſtinatione illos ſectari velis: tanto maiorem pœnam ſi id feceris relaturus, quanto euidentius tibi præ Iudæis cõſtat, Chriſtum & Chriſtianum non ſuperbum, ſed humilem eſſe oportere. Ne igitur obtorto collo contrarium agas obſecro. Alterum remedium eſt recordatio facti hodierni Chriſti Domini, nempe quam abiectè tantus & talis in triumpho iſto

ſe

ſe geſſerit, illum ergo imitere, ponderando & animo diligenter reuoluendo, quam fœdum ac turpe ſit ſub principe manſueto ac humili, ſuperbum ac arrogans mancipium.

*Sed Chriſtū contraria agentem imitentur.*

Altera doctrina eſt, vt meditantes & contemplantes ea, quę tam à propheta, quam ab Euangeliſta dicantur de Chriſto, nos quoq; dum in hac peregrinatione ſumus, inter ſpē & metum ambulare, ac cum timore & amore ſalutem noſtram operari ſtudeamus. Vtriuſq; enim præclarum hic habes veſtigium & incitamentum. Ad ſpem indeq́ue ad amorem hortantur nos tum tituli illi, *pauper*, MANSVETVS: tum res ipſa profectio in quā Chriſti in aſello. Quis enim accedere formidabit ad eum qui tam humilis deſcribitur? Accede igitur ſpe & charitate, boniſq; operibus inde prodeuntibus fultus. Sed & reuerentiæ ac ſancti timoris ſis memor, cuius totidem hic habes argumenta: nempe tum quod iſte pauper, vocetur etiam *iuſtus*, qui cum iuſtitia ſeuerè iudicat: tum quod publicè vitia quæ leuiſſima etiam videntur puniat, ementes & vendentes è templo eiiciendo. Tu igitur cogita, an non accedant, vel etiam excedant tua peccata iſtorum vitia. Noluit Ieſus vendi in templo quod licitè offerebatur in templo, & eos qui id faciebant punit. Quid faciet cum à nobis, & in nobis, qui templum Dei ſumus, fieri viderit

*2. Vt inter ſpem & metum verſemur.*

*Spei incitamenta.*

*Timoris argumēta.*

fornicationes, ebrietates, rapinas, fraudes, mendacia, turpiloquia, obtrectationes, hiſque ſimilia, quæ & nullibi & nullo modo ſunt licita? Iſtorum igitur vide, an aliquid lateat in tua conſcientia: & perhorreſce. At confeſſus ſum inquis omnia? Rectè ſanè, ſi rectè. Sed quis nouit an rectè? Quid quod monet Spiritus ſanctus dicens, *De propitiato peccato noli eſſe ſecurus*? Hæc dixerim non vt ſcrupuloſis laqueum iniiciam, ſed vt præſumptuoſis, quorum magnus numerus, fræ- num imponam. Itaque pro vtriſque medicus, & medicina in promptu eſt. *Rex*, videlicet noſter, *ſedens* in aſello, & ipſe MANSVETVS, *pauper*, *iuſtus*, *&* *Saluator*. MANSVETVS, & pauper eſt, ne ergo illum deſperando refugias. *Iuſtus* eſt, ne ergo præſumendo nimium, ſis ſecurus ſed time. *Saluator eſt*: totam igitur ſpem tuam in ipſum coniice. Sed vide vt columnę ſpei baſim quoque bonorum operum tuorum ſupponas. Nam alias corruet. Dictum ſatis. Reliquum hiſtoriæ proſequamur.

*Occurritur obiectioni.*

*Eccl. 5. 5.*

*Scopus vt extrema fugiamus.*

EVNTES AVTEM DISCIPVLI inquit D. Matthæus, de illis qui pro iumentis adducendis miſſi fuerant.

*Medium ad omnia efficaciſſimum, Facere quod præcipit Ieſus.*

FECERVNT SICVT PRÆCEPIT ILLIS IESVS. Hoc eſt aliud, quanto interius tanto priore efficacius, tum ad ea quæ dicta ſunt remedium: tum bonæ ſpei argumentum: tum

ad ſalutem obtinendam medium eſt efficaciſſimum. Facere videlicet SICVT PRÆCEPIT IESVS, Dicam cum eodem Ieſu. *Hoc fac & viues*. Addoque ſi in faciendo perſeueraueris victurum te in æternum. Quid agam? inquis. Principio hoc ipſum propter quod hæc verba protulit Chriſtus. *Diliges Dominũ Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua: & proximum tuum ſicut te ipſum.* Deinde ſatisfacias muneri tuo ad quod vocaris, aut iam vocatus es: ſicut hic Apoſtoli præſtiterunt, quæ illis erant demandata. Hoc enim inter alia ad dilectionem Dei ſpectat omnino.

*Luc.10.26.*

Sed hæc inquis quæ Apoſtolis demandantur parua & facilia ſunt, nempe beſtias adducere: at vero à me magna & difficilia exigũtur. Dic magna iſta & difficilia, Ego enim dilectionis tantũ mentionem fieri audio, qua in mundo nihil ſuauius, ideoque nec facilius quicquam. Sunt & alia: Quæ? Iudex ſum ait vnus & in dignitate poſitus. Quanta vero in hac morum corruptione, munerum largitione, potentium oppreſſione, quæ & pauperes, & me ipſum ſi illis morem non geſſero manet, ſit iuſtè iudicandi difficultas, quis non videt? Ego vero ait alter animarum curam gero, pro quarum vnaquaque Deo reddenda eſt ratio. Num id exiguũ vel facile quid tibi eſſe videtur? Magnum

*Obiectio de difficultate.*

*Cum iudicum.*

*Tum Eccleſiaſticorum*

gnum

gnum ſane. Fateor,ſed peto vndenam id ti-
*Reſponſio de duplici Gia.* bi? Vel quis tanti oneris cauſa fuit? Nec vi-
deo quid reſpõdeas præter vnum è duobus,
vel teipſum id quęſiuiſſe,imo non ſatis dex-
trè procuraſſe,vel te à Deo legitime vocatũ,
imo inuitum raptum fuiſſe. Si priori hæc
modo habes tibi imputa , qui tua ſponte
huic te piſtrino mancipaſti; immemor dicti
docentis , & monentis Ieſu, vt antequam
*Luc.14.28.* quicquã tale aggrediaris, prius *ſedens* com-
putes an habeas, *ſumptus qui neceſſarij ſunt,*
ad opus perficiendum. Ingens certè error
ac imprudentia,maius vero periculum caſus
æterni eorũ qui hac ſe gerunt ratione. Quod
*Heb.5.4.* ſi vero non ſumpſiſti tibi *honorem,*ſed es vo-
*Vocati animantur.* catus *à Deo tanquam Aaron,* bono ſis animo.
Nam qui adfuit ad vocandum, aderit etiam
ad feliciter perficiendum. Potens eſt enim
*Mat.11.29.* imo omnipotens, proinde faciet, *iugum* qui-
dem , & iugum è natura ſua durum *ſuaue*
*& onus* alias graue *leue.* Dummodo tu quo-
que agas, quod feciſſe Apoſtolos audis, id eſt
quantum in te eſt adnitaris cooperari diui-
næ gratiæ. Quid vero egerunt Apoſtoli? Re-
ſpondet diuus Matthæus.

*Remedia dantur. 1. Zelus animarum.* ET ADDVXERVNT ASINAM ET PVL-
LVM Tu quoque adducas quos potes, ex iis
qui per aſinam hanc & pullum denotantur,
inprimis vero eos, qui tuæ curæ ſunt cõmiſſi.
Et

Et id quidē fecerunt Apoſtoli iuſſi: at quod ſequitur.

ET IMPOSVERVNT SVPER EOS VESTIMENTA SVA, minimè id fuit illis demandatum. Faciunt tamen, & ſuperioribus veſtibus ſuis ſeu palliis ornant hæc iumenta. Inſuper.

ET EVM DESVPER SEDERE FECERVNT. Neque id præceptum illis fuiſſe legimus. Qua de re egimus contra hæreticos in præcedenti concione: iam vero pro Catholicis adiungamus aliqua. Quorum primum ſit, pro iis de quibus iam iam locuti ſumus: quibus & ſuademus, vt ad maiorem in ſuo munere ritè obeundo ſecuritatem, adiungant aliquid ad quod non ſunt obligati. Poſſe id fieri negat perfidia hæretica, credit fides Catholica: eſſe videlicet in Eccleſia opera quæ vocantur ſupererogationis. Idque cum mediis variis ex ipſa probat ſcriptura: tum facto hodierno, quaſi extento monſtrat digito, tum in Apoſtolis, tum quod mirere magis, in turba ipſa. Hos igitur imitare. Tu quidem ô iudex non ſolum iuſtè iudicando, ac tum perſonarum acceptationē, tum munerum acceptionem tanquam peſtem fugiendo: ſed etiam pupillos, viduas, & alios oppreſſos, conſilio, ope, & erumena iuuando: Salua tamen in omnibus æquitatis & iuſtitiæ lege. Tu vero Eccleſiaſtice addes continuam

*2. Opera ſupererogationis quæ facient.*

*Iudices.*

*Paſtores.*

nuam ad Deum orationem qua tanquam humeris oues tibi commiſſas ſuſtentabis. Humeris inquam non tuis, ſed alienis, ipſius nempe Dei. Addes & externas mortificationes, ieiunia, cilicia, diſciplinas. Addes iuge operum miſericordiæ exercitium, quod mirum eſt quãtum alios ædificet. Addes deniq; quod caput eſt magnum Zelum, indeq; media ad lucrandas Chriſto animas, varia adinuenies: imo etiam corporum pro virili parte tua curam geres, cum omnes inopes & pauperes :, tum illos qui mendicare erubeſcunt, propriis vel alienis pecuniis, ac eleemoſynis iuuando. O quam ſuauiter in talibus veſtimentis Ieſus ſedet. Hæc de iis qui in dignitate poſiti ſunt. Quid de aliis?

*Plebs quæ hic quadripartita.*

PLVRIMA AVTEM TVRBA, ait D. Matthæus. Porro turbam hanc quadripartitam mihi videre videor. Prima pars eorum qui ſequebantur Ieſum è Bethania, quo venerant *non propter Ieſum tantum, ſed vt Lazarum viderẽt, quem ſuſcitauit à mortuis,* qui etiam aliam turbam incitabant *teſtimonium* dantes Chriſto. Secunda turbæ pars fuit eorum, qui *acceperunt ramos palmarum & proceſſerunt obuiam ei.* Volunt quidam hac ipſa die fuiſſe ſolitos Iudęos agnos manducandos in paſchate cum cæremoniis deducere in Ciuitatem. Itaq; dum mutos agnos

*Ioan. 17. 9.*

*Ibid. v. 15.*

nos quærunt vel præſtolantur, incidunt in agnum qui tollit peccata mundi, quiq; illo ipſo paſchate pro peccatis eorum, imo omnium hominum immolari debuit. Grande & recogitatione dignum myſterium. Tertio erat turba promiſcua, *multa quæ venerat ad diem feſtum*. Iſti iuncti alijs. *Ioan.12.12.*

STRAVERVNT VESTIMENTA SVA IN VIA. Quantum valet bonum exemplum prælatorum. Quam alacres ſequuntur omnes paſtores præeuntes! Quam euidēter quotidiana id probat experientia! Imo addunt è ſuo aliquid, prout factum videmus, & indies fieri animaduertimus. Quid enim? Videt TVRBA Apoſtolos imponentes veſtimenta ſua ſupra dorſa iſtorum animalium. Quid illa? Proiicit SVA IN VIA, eaque pedibus eorundem iumentorum calcanda & proterenda præbet. Miror, nec miror quid TVRBÆ huic in mentem venerit vt id ageret. Miror ſi humanum & mundi ſpecto iudicium. Non miror ſi impellentem illam Spiritum ſanctum intueor. Quo enim alio duce talia fierent? At mirandum eſt inquis Chriſtum ea quæ præter, & quodammodo contra rationem fiebant non prohibuiſſe: imo videtur chara habuiſſe, etiamſi nō ipſi ſed iumētis quibus inſidebat pręſtita fuerint. Mirari deſine. Non prohibuit. Quia neq; hæreticorum qui talia vetant ridentq;, neque

*Imitatur duces. Imo & addit.*

*Cur hoc Chriſtus nō prohibuerit.*

*Diſcretionē nimiam odit Chriſtus*

neque quorundam Catholicorum, qui nimia cum Chriſto diſcretione vti volunt vnquam fautor fuit Ieſus. O quot eiuſmodi noſtratium reperiũtur, qui dum voluunt & reuoluunt, quam in rem cautè ſuam collocare poſſint eleemoſynam, incautè interim agunt nihil. Imo ſæpius facientes arguunt dicentes & contendentes, nõ ſic ſed ita eleemoſynam iſtam applicandam fuiſſe: cum tamen ipſi, nec ſic, nec ita ſuam collocent. O ineptia, ne dicam impietas, non ſolum bona opera negligere, ſed etiam alios ab iis faciendis arcere. Porro chara hæc omnia erant Chriſto, quia charitas ſemper illi chara adeo, vt operam beſtiis etiam eius cauſa impenſam, & charam habuerit, & irremuneratam non dimiſerit. Quis enim niſi infidelis cogitabit, quæ à turba iſta acta fuère merito & præmio caruiſſe ſuo? Quare imitemur quæſo dilectiſſimi, & Apoſtolos & turbam iſtam, garritus tũ hęreticorũ, tũ indiſcretè diſcretorum nihili facientes. Audi vero quid adiiciat TVRBA.

ALII AVTEM Pergit narrare noſter Matthæus.

*Iudicium ſubiugandum.*

CEDEBANT RAMOS DE ARBORIBVS. Puerile quid, ſi mundi: at magnum ſi fabricatoris mundi iudicium ſpectes. O quam id vtile ad noſtra præcocia, præſumptuoſa, & pertinacia iudicia ſerio comprimenda.

menda. Notate id quæſo docti, & pollentes ingenio. Erunt enim vobis aliquando magno vſui. Nec vero ramos iſtos cedebant ſolum, ſed.

ET STERNEBANT IN VIA lætitiæ, honoris, & amoris ergo. Nam & D. Lucas gaudij meminit, & quonam modo lætari deberent Iudæi, Moyſes his deſcribit verbis *ſumetisq; vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, ſpatulasq; palmarum, & ramos ligni denſarum frondium, & ſalices de torrente, & lætabimini coram Domino Deo veſtro.* Quid ni id hodie ad literam expletum dicas? ſicut illud, *os non comminuetis ex eo*, tempore paſſionis expletum fuit. Ego certe nullum incommodum video ſi dicamus ſpiritum ſanctum id ipſum his verbis deſignaſſe. At de feſto tabernaculorum eſt ibi ſermo inquis, non de proceſſione hodierna. Sane etiam in illis Moyſi verbis. *Os non comminuetis ex eo* de agno Paſchali agitur, quæ tamen D. Ioannes de Chriſto literaliter intellexit. Ita omnino hîc: hiſtoricus quidem ſenſus eſt de feſtis Iudæorũ, literalis vero de triumpho hodierno. Excuſſimus hanc diſtinctionem alibi nec eſt q̃ repetamus. Lætatur itaq; TVRBA, hæc corã *Domino Deo ſuo*, Meſſia ſuo, Chriſto Ieſu ſuo, adijcens etiã plura, quã edocta erat à Moyſe. Nam proijcit hæc omnia in terram honoris & amoris cauſſa. Imo & triumphi gratia,

*Triplex turbæ finis.*

*Literalis ſenſus quis.*

*Additur*

gratię, palmam enim inſigne eſſe victoriæ, noſtis. Quęris cuius victorię? Victorię inquã triplicis nempe; de morte corporis quidem, ad tempus in reſuſcitatione Lazari relatæ: æternę vero, pro omnibus qui ſunt eius, poſt aliquot dies in cruce referendæ, deniq; vt riusq; reportandæ, quando illud Apoſtoli implebitur. *Nouiſſime autem inimica deſtruetur mors.* Quæ ſi TVRBA hæc ignorauit, ſciuit certe, proindeq; intendit, qui ad id faciendum eam incitabat Spiritus ſanctus.

*quartus. Victoria Christi triplex.*

*1. Cor. 15. 26*

Cæterum dum mentis oculis intueor tapetia iſta ex vilioribus veſtibus ( precioſas enim ibi defuiſſe nõ dubito) & ramis arborum diſcriminata, & in terra ad honorem Ieſu extenſa, in mentem mihi veniunt aulæa pannis ſericis, holoſericis, aureis, arte, acu, plumarumq; opera mirifice maximis cum ſumptibus depicta, quibus noſtrorum etiã Eccleſiaſticorũ, parietes micant, ornantur, & mutantur: Eaq; recogitans ingemiſcẽs dico, O ſi iſta venderentur, & precium pauperibus in quibus Chriſtus eſſe ſe aſſerit diſtribueretur, quã id conduceret, cum accipientibus: tũ tribuentibus! Accipientibus quidem. Non enim fame ac inedia perirent, tot, quot aliquando oculis conſpeximus noſtris, Largientibus vero multo magis, quia haberent vnde fratres ſuos alerent, quia notam ſuperbiæ, luxus comitem à ſe pro-

*Tapetia Christi NOTA.*

*Tapetiã magnatũ.*

*Quomodo bene poſſẽt collocari.*

profligarent, quia Chriſtum in victu & veſtitu pauperibus erogato ſuauiter ſedere facerent. In aulæis vero illis quis ſedet ? Vereor ne is qui olim Beato Martino purpuratus, & auro redimitus apparuit. Quia denique magnam à Deo referent remunerationem. Iam vero timendum eſt, ne eis obueniat illud Dauidicum, *dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis.* Qui inuenirent, cum omnia aut magnis clauis affixa parietibus, aut multis ſeris obſerata in fornicibus & ſcriniis maneant incluſa ? neque quicquam eorum manus pauperum in æternam patriam reportauerunt. Verum dum hæc arguo afferuntur excuſationes. Aiunt enim talia tempora tales requirere mores. Quæ tempora ? quos volunt mores? Nonne tempora ſunt channa? Nonne chãnos, channis moribus imbutos eſſe decet? Et vero in luxu, & tam turpi luxu modum ſeruare nullum, eſt ne Chriſtianum ? Neſcio enim quò vlterius id progredi valeat cum haud raro parietes precioſius aut mollius, quam ipſos qui in aula ſunt veſtitos conſpiciam. Sed reliqua D. Matthæi percurramus.

*Pſal. 75. 6.*

*Excuſatio tollitur.*

TVRBÆ AVTEM QVÆ PRÆCEDEBANT ET SEQVEBANTVR Omnes complectitur. Quibus quartum adnumeres genus, puero-

*Mat. 21. 15.*

rum inquã. quorum paulo poſt fit mentio. Hi igitur omnes.

*Duplex diſficultas.*

*De verbo HOSANNA.*

CLAMABANT DICENTES, HOSANA FILIO DAVID. Duplex eſt hic difficultas. Minor de verbo HOSANNA, quidnam ſignificet. Auguſtinus enim vult tantum eſſe interiectionem quandam. Quod verum eſt de vltima ſyllaba quæ obſecrãtis affectum exprimit: non autẽ de toto vocabulo. Nam prius ſalutem deſignat, vt D. Hieronymus, & alij omnes teſtãtur. HOSANNA itaq; exponitur, ſaluum fac, ſalua obſecro. At vero quem ſaluari cupiant intellectu eſt difficilius, maxime propter recentiores quoſdam, qui ſalutẽ eos ipſi Chriſto precari aſſerunt, rogareq; à Deo vt proſperè & feliciter regnet. Fauentque huic opinioni illa duo vltima verba FILIO DAVID. Verum cum tota antiquitas, patresq; tam Græci quam Latini contrariũ ſentiant, nempe Turbam his verbis Chriſtũ laudare, ac ab eo, tanquam à vero Meſſia ſalutem & redemptionem petere, huic ſentẽtiæ ſubſcribendum cenſeo, præſertim cum præter conſenſum ſanctorum, etiam rationes potiores habeat. Nam laudes iſtas, mutuata eſt TVRBA à Dauide orante. *O Domine ſaluum me fac, ô Domine bene proſperare, benedictus qui venit in nomine Domini.* Vbi nec illud FILIO DAVID legimus, nec dubitam⁹ quicquam, à Deo ad quem hæc diriguntur verbis

*2. Cui ſalutem precentur.*

*Sibi eam poſcere probatur.*

*Tum conſenſu,*

*Tum origine.*

*Pſ. 117. 26.*

bis iſtis ſalutem poſci. Eandem igitur hic à Chriſto poſtulant, conformiter nomini ipſius, Ieſus enim Saluatorem nō ſaluandū ſignificat. Id vero ſequentia magis etiam probant. Nam cum inquiunt. *Tum è nomine Ieſu.*

BENEDICTVS QVI VENIT IN NOMINE DOMINI, eadem vtuntur phraſi, qua Dauid vt audiſtis, & qua Zacharias pater Ioannis Baptiſtæ, dicens; *Benedictus Dominus Deus Iſrael* vſi ſunt. Proinde ſicut vterque Propheta laudat his verbis Deum, ita plebs iſta laudat Chriſtum, non autem intercedit pro Chriſto. Denique cum ſubiungitur. *Tum ex ſequentibus* *Luc.1.68.*

HOSANNA IN ALTISSIMIS. quod Dauid non habet, ſed à turba vſurpatur, ſicut & illud apud D. Lucam, *Pax in cœlo, & gloria in excelſis*, clarum eſſe videtur eos à Meſſia pacem cœleſtem, gloriam æternam & ſalutem in altiſſimis exſpectare & exorare. Neq; vero nos turbet quicquam; quod turba iſta ignorauerit Chriſtum fuiſſe Deum, ideoq; ab eo hæc petere non potuerit. Nam licet ipſa ignorarit, nouerat tamen D. Petrus, qui illū filium *Dei viui* confeſſus fuerat. Apoſtolos vero primos chori iſtius præcinctores fuiſſe quis ambigit? Sed eſto nemo id ſciuerit canentium: at ſciuit Spiritus ſanctus, qui vt dixi auctor talium in illis fuit. Quod euidentiſſimum eſt in infantibus, & pueris teſte ipſomet Chriſto, & Dauide. Ille enim cui Da- *Tū ex additamento.* *Luc.19.38.* *Occurritur obiectioni.* *Mat.16.16.*

*Mat. 21. 16 Pſal. 8. 1.* uid canit, *Domine Dominus noſter*, dicitur. *Ex ore infantium & lactantium perfeciſſe laudem* Chriſti. Et eandem hic perfecit. Denique ad illud FILIO DAVID, perſpicua *Orig. tract. 35. in Matt. Iren. lib. 4. c. 14.* eſſet reſponſio, ſi antiquos Origenem & Irenæum ſequeremur, qui FILI non filio legunt. Sed quia tam Græca quam Latina habent FILIO dicimus ſenſum eſſe eundem. Cantant enim FILIO DAVID HOSANNA, id eſt, ſalua nos, petuntque à filio Dauid ſaluari IN ALTISSIMIS, quem & benedictum venientem in nomine Domini pronunciant, & pacem non terrenam, ſed cœleſtem ab eo quærunt.

*Cõcluſio &c.* Quare nos quoque ab his inuitati & incitati, meliori etiam quam ipſi iure, tum quod à Chriſto Chriſtiani dicimur, tum quod plura quam illi ſcimus, & credimus ſoluamus ora noſtra ad laudandum Ieſum petendumque à Ieſu. Tibi itaque FILIO *Oratio ſummam dictorum continens.* DAVID, eidemque filio Dei Chriſto Ieſu, nos minimi ſerui tui decantamus. HOSANNA, rogantes & obſecrantes, vt ſalues nos Saluator noſter. Da pientiſſimè vt oſcitantia abiecta, tanquam veri obedientes, per pœnitentiam ad viſionem veræ pacis perueniamus. Da vt non ſolum ſolui, ſed etiam adduci nos ad te patiamur. Da vt caueamus quibus tu OPVS non habes, quæque abominaris, vt obſtinationem, hono-

honorum cum inordinatum, tum præpoſterum appetitum, cunctationem in operibus miſericordiæ faciendis, ambitionem quoque, arrogantiam, luxum & his ſimilia: ſectemur vero his contraria quibus tu OPVS HABES. Da vt cautè inter ſpem & metum ambulantes, tum in explendis bonis deſideriis: tum in frænandis malis concupiſcentiis, tum in caſtigando corpore noſtro ſerij, & conſtantes reperiamur. Da denique vt non ſolum faciamus quæ tu PRÆCEPISTI, ſed etiam te auctore, adiutore, promotore, opera ſupererogationis adiicientes, & hic benedicere ac laudare te venientem, in nomine Domini ſemper, ac perſeueranter valeamus, & poſt hanc vitam ſalutem à te Ieſu Saluator obtineamus æternam, in ALTISSIMIS, Amen.

*REGES, ASELLI.*

# CONCIO IV.

## CHARITAS.

*Dicite filiæ Sion. Ecce rex tuus venit tibi manſuetus & ſedens ſuper aſinam, & pullum filium ſubiugalis.*

*Regem petunt Iudæi inuito Deo.*

POſt ter mille ab orbe condito, & mille à lege circumciſionis Abrahamo datæ circiter annos, venit in mentem populo à Deo peculiariter electo, vt peterent dari ſibi regẽ, quo ad illud vſq; tempus ſemper caruerant. *Congregati ergo vniuerſi maiores natu Iſrael venerunt ad Samuelem*, dicentes; *Conſtitue nobis Regem, &c, Diſplicuitque ſermo in oculis Samuelis.* Sed neque ipſi id placuit Deo, vt illa eius ad Samuelem teſtantur verba; *Non te abiecerunt, ſed me ne regnem ſuper eos*, Nihilominus permiſit Deus fieri quæ petierunt Iudæi, verum tali lege & conditione, qualis merito in ſtuporem poſſet vertere legentes. Nam inquit Deus. *Hoc erit ius regis. Filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis, facietque ſibi equites, & præcurſores quadrigarũ ſuarum, &c. Filias quoque veſtras faciet ſibi vnguentarias, &* 

*1. Reg. 8.*

*Ius regis terrificũ ſane.*

*foca-*

*focarias, & panificas. Agros quoque veſtros & vineas, & olíueta optima tollet, & dabit ſeruis ſuis.* Et alia eiuſmodi multa recenſet, ac tandem concludit. *Greges quoque veſtros addecimabit, voſque eritis ei ſerui.* Quis ad hæc non obſtupeſcat? Hæc olim. Hodie vero quid? Contrarium omnino. Audiſtis in themate, intellexiſtis ex hiſtoria Euangelica, vidiſtis in celebri quam habuiſtis proceſſione.

Nõne dignum eſt vt regem regi, regnum regno, ius iuri comparemus? Æquiſſimum ſanè. Id igitur agamus, & adiungamus quomodo nos in regno Ieſu gerere debeamus, cum omnes tum perſonæ religioſæ. Quod ſi priora verbo cognoſcere vultis: ſcitote illic fuiſſe regem dictum Saul: hic rex eſt Chriſtus Ieſus: illic regnum carnale ac temporaneum: hic ſpirituale & æternum: illic lex eſt timoris, faſtus & ſeruitutis; plenum hic humilitatis, amoris, & libertatis. Quis ad hęc amplectenda in ipſo limine non exardeſcat? Verũ ponderanda ſunt ſingula diligentius. Tu Chriſte Ieſu rex & princeps noſter concede id ita faciamus, vt te regnantem ſuper nos, & hic ſentire, & in cœlo videre perenniter valeamus omnes.

*PROP. Quadrimembris.*

*Summa.*

DICITE FILIÆ SION, per filiam Sion Ieruſalem, totamq́ue gentem Iudaicam intelligit, vt alias dictũ eſt. Imo totam etiam gentẽ Chriſtianam. Quid vero iubet dicere?

*I. MEMB. Reges.*

*Conueniũt in quatuor.* ECCE REX TVVS. Conueniunt duo illi reges, nempe Saul, & Ieſus, in quatuor præcipuè, vterque enim eſt Rex, vterque rex eſt SION, id eſt Iudæorum, vterque à Deo electus, ideo dicitur.

*Diſcrepant in multis.* VENIT TIBI, deniq́ue vterq; VENIT triumphans. At vero in multis aliis multum differunt. Etenim Saul fuit quidem rex pius & bonus, ſed breui tempore, longo vero erat tyrannus, & ſceleratus, ac tandem ſuiipſius nefarius interfector. At vero Chri- *1. Ratione bonitatis.* ſtus Ieſus optimus fuit omni tempore, ita vt ſub finem vitæ ſuæ auſus fuerit dicere hoſti- *Ioan. 8. 46.* bus ſuis capitalibus, *quis ex vobis arguet me de peccato?* vt ante octiduum audiuiſtis. Neque vero propriis, ſed alienis periit manibus, quod martyrium eſt. Ipſe vero caput martyrum fuit. Qui denique non ſolum bonus, ſed & fons ac origo totius bonitatis fuit, eſt & erit ſemper. Amandus igitur, colendus, & *Gratitudo & amor.* orandus eſt plurimum. Id enim virtuti debetur. Quanto magis illi virtuti, ſine cuius opera & virtute, nullus vnquam repertus eſt virtuoſus?

*2. Ratione electionis.* Deinde Saul fuit quidem datus & electus à Deo, ſed inuito quodammodo Deo, vt in exordio audiſtis. Talia vero haud bene ſuccedere ſolent, vt videre licet in Iudæis, qui in deſerto carnes extorſerunt à Deo.

Deo. Quo fructu? Eo quem Dauid exprimit dicens; *Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos.* Idipſum hîc aperte apparet. Porro Chriſtus Meſſias tum motu vt ita dicam proprio à Deo promiſſus, tum vltro iuramento firmatus, tum voluntariè datus fuit. Promiſſionem habes in ipſo mundi primordio, factam primis noſtris parentibus. Firmamentum iuſiurandi tum Abrahæ: tum Dauidi datum eſt, vt immobilitas conſilij Dei omnibus teſtata eſſet. Conceſſionem audis in Iſaia, qui futura tanquam præterita (ſicut iam nobis ſunt) intuens exclamat dicens; *Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius, & vocabitur nomen eius, Admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis.* Mirandus igitur eſt nobis, quia *admirabilis* audiendus, quia *conſiliarius*, adorandus, quia *Deus*, timendus, quia *fortis*: amandus præſertim à nobis, quia *pater futuri ſæculi*, in quæ tempora nos per gratiam ipſius incidimus: denique audiendus, & ſequendus amanter, alacriterque, quia *princeps pacis*, quam expoſcimus omnes.

*Pſal. 77.31* *Gen. 3.15.* *Gen. 22.16.* *Pſal. 113.11* *Iſa. 9.6.* *Gratitudo & amor.*

Quid præterea? Saul quærens patris ſui aſinas, quæ perierunt, nõ aſinas, ſed regnum Iſraël inuenit. Cum enim ad Samuelem

*3. Ratione Vocationis.* *1. Reg. 3.9.*

peruc-

perueniſſet, requirens de aſinis perditis, ab illo eodem tempore inunctus in regem fuit. Grande myſterium, hodierno, & ſimile & abſimile. Simile quia hic quoque aſinarum ſit mentio. Diſſimile, tum quod ibi aſinæ non reperiantur, hîc vix quæſitæ ſtatim inueniantur: tum quod ibi Saul non inſidet eis, hic Chriſtus ſedet ſuper eas: tum quod ibi regnum reperit Saul, hîc Ieſus regnum opimum & optimum ſuo reliquit modo, vt ouem perditam inueniret, vt ipſe per parabolam de nonaginta nouem ouibus dimiſſis, & vna quæſita teſtatur. Expreſſe vero aſſerit, tum Nicodemo, ſe *de cœlo* deſcendiſſe: tum Apoſtolis ait, *Exiui à patre, & veni in mundum.* Nos igitur qui hæc ouis, qui hæc aſina ſumus, quam tanto cum ſuo incommodo quæſiuit Dominus Ieſus, grati tanti beneficij exiſtamus dilectiſſimi, proinde ſubſterni nos tãto ſeſſori patiamur, & faciamus. Id vero amor efficit. Sicut enim amor Ieſu impulit eum, vt nos quæreret: ita amor noſter erga Ieſum, præſtabit vt nos inueniat, nobiſque vtatur.

*Mat. 18. 12.*

*Ioan. 3. 13.*
*Ioan. 16. 28.*
*Gratitudo & amor.*

*4. Ratione triumphi vbi multa congerũtur.*

Ad extremum triumphauit Saul, ſed ſuperbè, pomposè, in equis & cum equitibus, in curribus & cum præcurſoribus. At in Chriſti triumpho tale nihil cernitur, nihil hîc arrogans, nihil iniuſtum, violentum nihil: ſed totum contrarium. Videamus hæc in

in themate propoſito. Itaque rex hic noſter à D. Matthæo vocatur.

MANSVETVS, à prophetis vero etiam, *iuſtus & Saluator, ipſe pauper*, nominatur. Nō ne multas in vno vides differentias? Saul inſolens, ſuperbus, honoris adeo cupidus, vt pallium Samuelis eo nomine diſcinderet dicens, nunc, *honora me coram ſenioribus populi mei.* Ieſus vero è contrario, MANSVETVS, & humilis. Ille iniuſtus, tyrannicè innocentem imo bene de ſe meritum Dauidem perſequens, & occidere cupiēs: hic *iuſtus*, imo iuſtiſſimus, ipſaque iuſtitia. Ille perditus, ſe & populum in monte Gelboæ perdidit: hic *Saluator* generalis omnes per crucē voluntariè ſuſceptā ſaluauit. Ille diues, hic *pauper*, ita vt & vili & alieno in profectione ſua vteretur animali. Ille in curribus & equis gloriatur: hic vero, *1. Reg. 15. 27. Ibid. v. 30.*

ET SEDENS SVPER ASINAM ET PVLLVM FILIVM SVBIVGALIS, quæ vt dixi mutuo ab aliis acceperat. O quanta in his omnibus diſcrepantia. O quam nos decet eſſe gratos & memores cum dilectione. Cæterum plures etiam differentiæ, in decurſu orationis occurrent, & notabuntur. Nunc demiremur parumper, cur Rex noſter tantus & talis, tam vilis & inſipiētis animalis, in tanto triumpho opera vti voluerit? Non equidem abſque magna cauſa. Quam vt penitius *Gratitudo & amor. Cur Chriſtus vſus his animalib.*

*Mirãda de eis in ſcriptura. NOTA.*

nitius capiamus & penetremus, intueamur quæſo, quæ nam mirabilia in hoc, vel cum hoc animali, ab ipſo fere mundi exordio facta fuerint. Vix enim eſt liber veteris Teſtamenti qui hiſtorias tractat, in quo huius rei non fiat mentio. Demus aliquot exempla ex ſingulis libris penè ſingula. Et

*1. In Abrahamo. Gen. 22. 3.*

primus quidem occurrit Abraham, qui opus illud excellentiſſimum aggreſſurus, iturusq; iuſſu Dei ad immolandum filium ſuum Iſaac, *ſtrauit aſinum ſuum*, in eumque procul dubio quæ conciderat *ligna*, ad cremandum *holocauſtum*. parata iniecit: quæ tamen poſtea cum loco immolationi deſtinato appropinquaſſent, *impoſuit ſuper Iſaac filium ſuum.* Tango & hiſtorias & myſteria.

*Myſterium explicatur.*

Hic illud occurrit, quod Deus Pater in Abrahamo ſignatus, cum ligna peccatorum quæ fecimus nos, primique noſtri patrarunt parentes, nobis qui in aſino figurati ſumus impoſuiſſet, vt iuſto iudicio ipſius in illis, & propter illa cremaremur in æternum. Quid fecit? Incomprehenſibili ſua miſericordia erga nos, & diſpenſatione miranda, hæc ipſa ligna ablata ex noſtro, impoſuit dorſo vnigeniti filij ſui Chriſti Ieſu, quem non ſolum ferre crucem in montem Caluariæ, ſed etiam in ea immolari voluit. Quis hæc vnquam futura cogitare potuiſſet? Nemo equidem, ſicut neq; illud, Abrahamum,

hamum, vt aſinum exoneraret, filium onerare voluiſſe. Hoc myſterium tetigiſſe mihi videtur Paulus Apoſtolus, cum de Deo Patre & Filio ipſius diſſerens inquit. *Eum qui non nouerat peccatum pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iuſtitia Dei in ipſo.* Pater enim æternum *Eum* filium ſuum Ieſum, *qui nõ nouerat peccatum,* nec noſſe poterat in ſe ipſo, *pro nobis,* loco videlicet noſtri, qui pleni eis fuimus: ſuo modo *peccatum fecit,* quãdo omnia peccata noſtra illi impoſuit, *vt nos efficeremur iuſtitia Dij,* iuſtificati *in ipſo,* & per ipſum. O mirandum myſterium! O immenſa gratia! Simus igitur grati dilectiſſimi, & verbis gratias agentes, & amore gratiam referentes.

*Confirmatur ex D. Paulo.*
*2. Cor. 5. 21.*
*Gratitudo & amor.*

Eſt & aliud in eodẽ Moyſi libro in prophetia Patriarchæ Iacob, in iiſdem animalibus figuratum myſterium, quod quia in præcedenti explicui concione, ad illud quod in ſecundo deſcribit libro venio. Vbi poſtquam Moyſes vel Deus potius, per illum tuliſſet legem de omnibus primogenitis Deo offerẽdis, ſubiungit. *Primogenitum aſini mutabis oue.* Simile ni ego fallor priori ſecretum. Pro primogenito enim aſini, pro noſtra inquã natura deprauata, vili, abiecta, peccatis magis quam aſinus talentis plumbi onerata; ſubſtituta eſt ouis illa de qua Iſaias, *Sicut ouis ad occiſionem ducetur. & quaſi agnus co-*

*2. In Iacob. Gen. 49. 11*
*3. In lege Moyſi. Exo. 13. 13.*
*Myſterium*
*Iſa 53. 7.*

ram

*coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum.* Et vero quomodo hæc acta fuerint, audietis Deo dante poſt quinque dies.

*4. In Balaã. Num. 22. 28.* Quid dicam de illa aſina, quæ prophetam prophetare docet? vel potius natura ſua ſtultum animal ſtultitiam impij Balaam arguit? *2. Pet. 2. 16.* Qua de re ſic Apoſtolorum princeps. *Subiugale mutum animal, hominis voce loquens prohibuit prophetæ inſipientiam.* *5. In Axa. Iud. 1. 14.* Quid de *Axa* quæ cum *ſuſpiraſſet ſedens in aſino* impetrauit à *Caleb* patre ſuo *irriguum ſuperius, & irriguum inferius*? Nonne me tacente myſterio hæc non carere mentibus occurrit? Vtinam *Doctrinam nota.* nos quoque in aſino, id eſt corpore noſtro ſedentes, motuſque prauos eius prementes ad Deum ſuſpiremus: quàm facile lachrymas tum contritionis quod inferius, tum *Et gratitudinem cum amore.* compunctionis & amoris quod ſuperius irriguum eſt, à patre miſericordiarum impetraremus? Faciamus igitur chariſſimi, vt gratiam pro gratia, amorem pro amore referamus.

Tempus me deficeret ſi omnia recenſe- *6. In Samſone. Iud. 15. 15.* re vellem. Itaque cum Samſone finiamus, qui *maxillam, id eſt mandibulam aſini, quæ iacebat arripiẽs interfecit in ea mille viros.* Cumque ſiti nimia premeretur ex dente molari eiuſdem maxillæ aſini fons aquæ erupit; qua *Myſterium inde.* Samſon hauſta confortatus diſceſſit. Simili ratione, Chriſtus Ieſus inuenta & arrepta, ſicca,

ſicca, vili, & debili natura noſtra, non ſolum
innumeros ſuos, & noſtros hoſtes ea pro-
ſtrauit, ſed etiã effecit, vt inde profluerent
aquæ largiſſimæ, gratiarum Spiritus ſancti,
de quibus ipſe inquit. *Si quis ſitit veniat ad me* *Ioan. 7 37.*
*& bibat. Qui credit in me ſicut dicit ſcriptura*
*flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Quod
Ioannes interpretans ait: *Hoc autem dixit de*
*ſpiritu, quem accepturi erant credentes in eum.*
Id vero in Pentecoſte factum ſcitis, qua e-
tiam die *circiter tria* hominum *millia*, aqua *Act. 2. 41.*
baptiſmali à peccatis emundata eſſe noſtis. *Doctrina.*
Grande myſterium. Rogandusq; & aman-
dus Ieſus, vt nos quoque huius aquæ parti-
cipes faciat ſemper.

Arbitror his auditis neminem iam ve- *1. Cauſa*
ſtrum mirari, cur Chriſtus Dominus in hoc *cur Chri-*
triumpho, eo animalis genere vti voluerit, *ſtus his v-*
nempe vt tot & tam præclaræ implerentur *ſus.*
figuræ, & prophetiæ; ſed non deſunt & aliæ *Figuræ.*
rationes. Quarum vnam nobis ſuggerit D.
Paulus dicens. *Quæ ſtulta ſunt mundi elegit* *1. Cor. 1. 27.*
*Deus, vt confundat ſapientes: & infirma mundi* *2. Omnipo-*
*elegit Deus, vt confundat fortia: & contempti-* *tentia.*
*bilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ*
*ſunt deſtrueret.* Vno verbo fecit id, vt omni-
potentiam, qua per res tam viles, tam ma-
gna & ſtupenda fiebant declararet ſuam.
Nonne id in hodierna proceſſione ſole ipſo
videtis clarius? Denique voluit nos inſtrue- *3. Exemplũ.*
*A ſimili.*

 *NOTA.*

re, ne talia pro amore ipſius aut agere aut pati erubeſcamus, imo vt & appetamus & imitemur. Fecit inquam quod facere ſolent parentes, qui nõ ſolum monitis, minis, precibus & verberibus: ſed etiam re quodãmodo ipſa, & typo ex beſtiolis deſumpto, liberos ſuos à malo abducere, ſiue ad bonum ſatagunt impellere. Ea enim ratione cum vident illos petulantes manſuetam ouiculam in conſpectu illorum mulcent, & laudant; cum impatientes & iracundos, canem irritant, cum ſpurcos, ſuem in volutabro luti ſe volutantem monſtrant. Ita omnino Chriſtus Ieſus, pluſquam mater, pluſquam pater noſter, cum al ăs ſæpe modis varijs: tum in hoc ipſo actu ſeſſionis in beſtijs iſtis, multas nobis virtutes commendauit. Quot putatis? Ego decem numeraui, vos plures inuenire poteritis Chriſto iuuante. Quas ego reperi vobiſcum communicare non grauabor, ſi prius quod prius propoſui expediuero.

*II. MEMBRUM Regna.*

Itaque proprietates regnorum iſtorum ſunt iam nobis explicandæ. Et omiſſis ſingularibus quę ſæpe fallunt: generalia quædã & ſtabilia tangemus potius quam pro dignitate tractabimus, hæc videlicet: Naturam regnorum iſtorum, ſcopum, locum, & tempus. Natura regni Saul, eſt corpus: Chriſti animam curare. Idcirco illud corporale: hoc eſt ſpirituale. Ita tamen è ſpiritu in corpus vis

*1. Natura illorum.*

vis & regimen deriuetur, non è contra quod improbum eſt. De regno illo res ipſa & omnes regnorum libri loquuntur. Ibi enim corporum & facultatum quæ ad illa ſpectant ſalus & conſeruatio ptocuratur. Ibi hoc nomine ſæui milites, ferocibus inſidentes equis, multi onerati armis conſcribuntur, bella adornantur, continuantur, perficiuntur, cum ingenti hominum ſtrage. Luxus denique, opes, ditiones augentur hiſq; plurima ſimilia. De regno vero Chiſti contraria & in ſcriptura, & in hiſtoria hodierna habentur vniuerſa. Quæ enim voces in nouo teſtamento præſertim in Epiſtolis Pauli ſunt illis frequentiores? *Quod natum eſt ex ſpiritu* (prout omnes baptizati naſcuntur) *ſpiritus eſt*, inquit ipſe Saluator. Apoſtolus verò *Seruiamus in nouitate ſpiritus*. Rurſum. *Dico autem ſpiritu ambulate, & deſideria carnis nō perficiatis*. Iterum: *Renouamini ſpiritu mentis veſtræ*. Item *Spiritu ſeruimus Deo*, & alia eiuſmodi, quæ non niſi regnum ſpirituale ſpirant. Triumphus vero Chriſti hodiernus, nonne quaſi è diametro pugnat cum triumphis mundanis? Hic enim pro comptis, tum aulicis, tum aliis qui obuiam procedere ſolent regibus; ſunt incōpti, imo ſeminudi nempe veſtibus ſuperioribus ſpoliati tam Apoſtoli, quam ex plebe multi; Hic pro contis, haſtis, gladiis; palmarum, & aliarum arborū rami viſuntur. Hic pro feroci-

*Saulis corporale.*

*Chriſti ſpirituale.*

*Ioan. 3.8.*

*Rom. 7.6.*

*Gal. 5.16.*

*Eph. 4.23.*

*Phil. 3.3.*

*Monſtratur id in proceſſione.*

bus equis, viles aſini, pro phaleris precioſis, attritæ Apoſtolorum veſtes, pro iubilo & canticis, propter tot mactatos in bellis homines, HOSANNA, id eſt ſalutis imprecatio concinitur, auditur, iteratur. Quid ita? vt agnoſcas in regno Chriſti corporale, terrenum, pompoſum nihil, ſpiritualia vero, & humilia omnia.

*2. Scopus. Qui fuit Saulus quidē propria.*

Scopus vero & modus regnorũ iſtorum quis? Hunc ſi diligenter contemplatus fueris, illic quidem omnia in regnantium vtilitatem deriuari, hic vero ſecus ſe rem habere fatebere. Quid enim ſibi volunt verba illa ſcripturæ de rege futuro Saule prolata, *filios, filias, agros, vineas, & oliueta optima tollet*, quam quod nos dicimus? Accipiebat igitur Saul, & in ſuum commodum conuertebat etiã aliena inuitis dominis. At Chriſtus Dominus etiam ſua largitus eſt aliis. Quæ ſua? Quæ non ſua? Quicquid habuit, quicquid potuit in aliorum deriuauit emolumentum. Dedit enim cæcis viſum, ſurdis auditum, claudis greſſum, leproſis emundationem, energumenis liberationem, ægris omnis generis ſanitatem, mortuis vitam. Dedit in vtilitatem noſtrã, *corpus ſuum percutientibus, genas vellentibus, faciem conſpuentibus*, & colaphizantibus. Dedit animam ad anguſtiam, & tantam triſtitiam, quæ illi ſudorem expreſſit ſanguineum: ſanguinem

*Chriſti vero aliorum ſtudere vtilitati.*

*NOTA. Iſa. 50. 6.*

quoque

quoque ipſum in precium pro præuaricationibus Adæ,& noſtrum omnium. Dedit carnificibus veſtes,totam videlicet extremã ſuam ſubſtantiam, latroni paradiſum, patri animam, ſeipſum denique dedit totum ad omnia pœnarum genera, & ad ipſam mortem, mortem autem crucis crudeliſſimam, turpiſſimam,ignominioſiſſimam. Cur vero hæc dedit vniuerſa? *Propter ſcelus populi.* Nempe, vt nos à ſcelere & pœna æterna ſceleribus noſtris debita, liberaret. O bonitas. O liberalitas. Quis hæc audiens amore in eum qui tantopere nos adamauit non exardeſcat? Hæc pauca haud extra rem dicta ſunto. Scitis enim in ſacro hodierno paſſionem Chriſti legi ſolitam. Quid ni ergo nos quoque pauca inde delibemus? Quare vt cœpta concludamus. Scopus regni temporalis eſt corporis, & quæ ad illud pertinent cura, indeque fructus, & honor proprius eius qui regno præeſt. Scopus vero regni ſpiritualis quod Chriſtus nobis reliquit eſt ſpiritualia lucra quærere, ſua elargiri, aliena ne appetere quidem, ſi ſecus fit, fini regni huius, & voluntati Chriſti ſatis non fit.

*Gratitudo & amor.*
*Iſa. 53. 8.*

Sed & ratione loci differentia inter hæc regna eſt haud exigua. Saulis enim dominium ſuper vnam tantum Iudæorum gentem, ſatis anguſtis Paleſtinæ ac locis illi adiacen-

*3. Locus. Qui, Saulis & Iudæorũ exiguum.*

iacentibus terminis fuit coarctatum. At vero regnum Chriſti ad omnes gentes, linguas populos, nationes, ipſoſque vltimos terminos terræ & orbis extenditur *Dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum* inquit Dauid, imperiũ Ieſu, conſiderans, ac de eo prophetans. Ibidemque poſtquam enumeraſſet, *Æthiopes, Reges Tharſis, Arabum, & Sabba.* Subiungit. *Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſeruient ei.* Quod nos noſtris temporibus in Regibus & populis Orientalium & Occidentalium Indiarum, qua expleri audimus, qua explendum ſperamus, magna cum noſtrum omnium qui Catholici ſumus conſolatione. Et conſiderate quæſo verba illa, tum *adorabunt*, tum *ſeruient*. In illo enim regnũ ſpiritale, in hoc magna ſubmiſſio, in vtroque diuinitas Chriſti notatur. Tam enim adoratio, quam ſeruitus latriæ hic intelligenda ſunt, quæ ſoli competunt Deo Typum tanti dominij vides in Euangelio. Nam vt in alia demonſtrauimus concione, aſina Iudæos, pullus Ethnicos deſignat (in quo duo genera hominum, totus tunc diuidebatur orbis) quorum vtrumque hodie ſub figura copulauit & ſubiugauit ſibi Chriſtus, quãdo in vtroq; animali ſedit. Per ſeſſionem enim, & vnum quodammodo, cũ re cui inſidemus efficimur (vnum ens per acci-

*Chriſti orbis totus.*

*Pſal. 71. 8.*

*Conſolatio Catholicorum.*

*Typus in Euang.*

accidens philoſophi vocant) & rem in qua ſedemus fortiter nobis ſubiugamus: ita Chriſtus Eccleſiam per totum terrarum orbem diſperſam ſibi ſubiicit.

Denique regna hæc ratione temporis diſcrepant plurimum. Regnum enim Saulis triginta (dempto ſolius Samuelis regimine) Iudæorum vero non totis quingentis durauit annis; at vero Chriſti Ieſu *regni non erit finis*, teſte Gabriele Archangelo. Nam imperium eius hic quidem durabit, ad mũdi finem, illic vero non habebit finem. Quia neque hic Eccleſia Chriſti piis ac ſpiritualibus perſonis deſtituetur, vſque ad conſummationem ſæculi: neque imperium Chriſti in eos quos redemit ſanguine ſuo deficiet in æternum. Adumbratum id habemus quadantenus hodie in illis cantici verbis, HOSANNA IN ALTISSIMIS. Cum enim ſaluari à Chriſto Ieſu, IN ALTISSIMIS plebs iſta petit, cœleſtis regni illum regem eſſe, ac proinde regnũ eius in æternum permanſurum, claris demonſtrat verbis. Porro cum conſtet regnum illud in ſolo fundandum eſſe amore (timor enim inde exulabit) quid aliud reſtat, quam vt in eo hic nos exerceamus diligenter, quod illic proſequi debemus perenniter? Id igitur agamus dilectiſſimi. In ſpiritu charitatis in hoc regno ſpirituali ambulantes.

*4. Tempus ſimiliter.*

*Luc. 1. 33.*

*Typus idẽ.*

*Amor inchoandus qui nunquam eſt finiendus.*

*III. MEMBRVM Iura regni. Terreni quatuor verbis comprehenduntur.*

Ad ius & leges regni vtriuſq; conſcribendas accedo. Neque ſingularia hic quoque perſequor, ſed vniuerſim tantum capita rerum attingo. Et regni quidem temporalis, & corporalis quadruplices leges, totidem verbis comprehendo. Da, inquit, iſtud, ſplende, time, ſerui. Priora duo regno Saulitico: poſteriora, toti etiam antiquæ legi conueniunt. Certe qui ſerio & ſedulo, quæ ibi Samuel populo Iudaico Dei nomine proponit, & *ius regni* vocat conſiderauerit, & hæc omnia quæ diximus inueniet, & in admirationem rapi poterit, quomodo Deus optimus, maximus, iuſtiſſimus, talia populo illi præſcripſerit. Ad quam quæſtionem varij varia reſpondent. Alij enim hinc colligunt, licitum eſſe regibus, talia populis ſibi ſubiectis & indicere & exequi. Alij limitant dicentes, licere id quidem ſed non niſi neceſſitatis cauſa. Alij negant id Deũ præcepiſſe, ſed tantũ prædixiſſe, & quæ Saul facere debuit, & q̃ alij reges agere cõſueuerunt. Alij deniq; in pœnã Iudeis quia petierũt dari ſibi regem, hæc vniuerſa iniuncta fuiſſe aſſerũt. Et vero omnia dici poſſunt probabiliter, præter primum quod impium & iniquum eſt. Mihi duo notanda veniunt. Alterum quonam modo his rebus, ac pœnis ſane terribilibus, quæ facultates, liberos, corpora denique eorum concernebant, quæque veriſſimè

*Cur talia Deus edixerit.*

*Quatuor opiniones.*

*Duo noto. Alterum turbæ cæcitatem ſtupendam.*

riſſimè à Deo prædicebantur, ſeniores & TVRBA nihil penitus mouetur: ſed cum illo ſuo NEQVAQVAM, de quo multa iam alias audiuiſtis, & ſæpe audire debetis, expedit & explodit vniuerſa bona conſilia. Sic enim ait ſcriptura. *Noluit autem populus audire vocem Samuelis, ſed dixerunt. Nequaquam, rex enim erit ſuper nos, & erimus nos quoque ſicut omnes gentes.* O quam ad amuſſim deſcribuntur hic verba turbæ tumultuātis, & bona conſilia ne audire quidem volentis? Repone hæc ad primam concionem, eo enim ſpectant plurimum. Ego vero illud adiungo, & more ſolito maiorem in modum rogo, & obſecro, vt verbo illo nequaquam in rebus malis, quæ Deo & rationi contrariantur, vti diſueſcatis chariſſimi.

*1. Reg. 8. 19*

*Alterum illarū quatuor legum expoſitionē.*

*1. Lex DA.*

Alterum ſigno, Breuem videlicet quatuor illorum verborum expoſitionem. Itaque vt dixi. Ius regni illius fuit DA, nempe tributa, decimas, filios, filias, agros, & cætera, quæ placent regi. Acerbiſſimum ius. Adiungitur aliud SPLENDE in equis, in aulicis, in quadrigis, earumque præcurſoribus, in menſis, veſtibus, aulæis, cæteriſque omnibus. Licet ibidem, quod vulgo & veraciter dicitur, inueniatur haud raro ſplendida miſeria. Tertia lex eſt TIME. Hæc non regno tantum terreno, ſed toti Teſtamento veteri conuenit. Nec probatione indiget,

*2. Splende.*

*3. Time.*

notum eſt enim omnibus, Moyſen & Prophetas legentibus, quam ſint ibi omnia terroribus, & pœnarum cōminationibus plena. Et idem eſto de poſtrema lege, quæ verbo SERVI comprehenditur iudicium. Quo teſte? De regni quidem Saulitico ipſo Deo: cuius verba illa audiſtis, *Voſque eritis ei ſerui.* De tota vero illa lege, Paulo Apoſtolo, qui cum non pauca in hanc ſententiam dixiſſet concludit. *Hæc enim ſunt duo teſtamenta, vnū quidem à monte Sina in ſeruitutē generans.* Quid clarius hac in parte dici potuit? Cōſtat enim omnibus *in monte Sina*, legem datam fuiſſe. Euidens igitur eſt quoque eam ſeruos generare.

*4. Serui.* *1. Reg. 8. 8.* *Gal. 4. 24.*

*Iura regni Christi & faces amoris.*

Ad iura regni Chriſti Ieſu explananda venio, quæ his omnino ſunt oppoſita, nempe, ACCIPE, humilia te, ama, liber eſto. Quot verba tot faces ad accendendam in nobis gratitudinem, & charitatem ſanctam. Porro rem ita ſe habere manifeſtū eſt. Quid enim à nobis vult Chriſtus aliud, quam vt acceptando gratiam eius, donorū ipſius participes efficiamur? Hinc illa D. Pauli verba; *Propter quod dicit aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem dedit dona hominibus.* Quæ quidē dona dat hucuſq; & diſtribuit: tum in vſu Sacramentorum: tum aliis modis. O quam dulciter id experiuntur, qui ſe ad hæc vt par eſt præparāt! Id agite omnes mihi in Chriſto dile-

*1. Accipe.* *Ephes. 8. 4.*

dilectiſſimi. Deinde non ſplendorem quem *2. Humi-*
omnes habere nequeunt: ſed humilitatem *liate.*
qua carere qui vult poteſt nemo, à nobis po-
ſtulat dulciſſimus Ieſus; ad eam nos etiã ex-
emplo ſuo inuitãs & dicens. *Diſcite à me quia* *Mat. 11. 29.*
*mitis ſum & humilis corde.* Addit inſuper pre-
mium, vt in omnibus primũ illud ACCIPE
agnoſcas. Subdit enim. *Et inuenietis requiem*
*animabus veſtris.* Quid hac liberalitate co-
pioſius? Quis enim requiem animæ non ap-
petit maximè? Ergo ſicut deſideratur ita
procuretur. Tertia vero lege AMA quid vel *3. Ama.*
dulcius vel facilius? De hac olim Propheta, *Ier. 31. 33.*
*Dabo legem meam in viſceribus eorũ, & in corde* *Heb. 8. 8.*
(in quo ſedes eſt amoris) *eorum ſcribã eam.* *Heb. 10. 16.*
Quod de lege noua intelligendum eſſe D. *Gal. 4. 31.*
Paulus ſemel & iterũ, diſertis teſtatur verbis. *Gal. 5. 13.*
Denique libertatis hanc legem eſſe, idem & *4. Liber-*
loco ſuperius citato, diducit copioſè, & ſe- *eſto.*
quenti capite cõcludit dicens. *Vos enim in li-*
*bertatem vocati eſtis fratres.* Et addit cautelam
valde neceſſariam; cum aliis gentibus, tum
nobis. Ait enim *Tantum ne libertatem in occa-*
*ſionem detis carnis, ſed per charitatem.* Ac ſi di-
cat. Non in carne, neque in iis quæ ad
carnem pertinent, ſed in charitate Dei,
& proximi vos exercete, & gloriamini dile-
ctiſſimi.

Quod vt agamus diligentius, perpenda-
mus iam quonam modo in hoc regno, cum
omnes,

*IV. MEM.* omnes, tum perſonæ religioſæ ſeſe gerere
*Noſtrum* debeant. Ad quod breuis & facilis eſt reſpō-
*officium.* ſio, obſerua leges quas enumerauimus re-
gni Ieſu, & geres te in eo eximiè. Et vero ſi
*Ius regni* id tibi multum videtur, dicam verbo, ſis A-
*ſeruare.* SELLVS in quo ſedeat Chriſtus, & deſiderij
*Aſellū eſſe.* tui compos efficieris. Id te docet thema pro-
*NOTA.* poſitum, id ipſe Chriſtus hodie, in hoc ani-
mali iter faciens. O quam bene nobiſcum a-
getur! O quam beatam vitam in hac pere-
grinatione tranſigemus, ſi idem nobis ob-
uenerit! At infame eſt inquis, tam infami, &
ſtulto animali comparari. Imo famoſiſſimū.
Si enim olim rex & propheta non erubeſce-
*Pſa. 72. 21.* bat dicere. *Vt iumentum factus ſum apud te,*
*Exemplo* quanto magis nos hæc loqui conuenit, qui
*Dauidis.* & inferioris ſumus ordinis, & audiuimus Ie-
ſum Meſſiam hoc iumento vſum eſſe hodie,
illudque ſeſſione ſua quodammodo ſancti-
*Matt. 5. 13.* ficaſſe? Quod vero ad vilitatem attinet certe
animal iſtud, ſale, columba, ſerpente, & ſimi-
*Mat. 10. 13.* libus quibus Chriſtus Apoſtolos ſuos com-
*Pſal. 21. 7.* parat abiectius non eſt. Quid, quod ſeipſum
*Mat. 23. 37* tum per Dauidem vermi, tum ore ſuo galli-
*Vſu ſcri-* næ alijſq; rebus abiectis aſſimilare dedigna-
*pturæ.* tus non eſt? Id tamen in eiuſmodi compara-
*Pſal. 21. 7.* tionibus eſt ſeruandum, vt ea quę vitium ali-
*Mat. 23. 37* quod olent reijciantur: quæ vero virtutis a-
*Similitudi-* liquod ſpecimen habent, ad imitādum tra-
*nes quomo-* hantur. Itaq; ſicut in columba ſimplicitas, in
*do capiēda.* ſerpente

ſerpente prudentia, ab ipſo Chriſto nobis commendantur, ita in aſello ſunt talia haud pauca, quæ diſcutiam, cum ad finem thematis (quod iterum reſumo) vbi aſinæ eſt mentio peruenero.

DICITE FILIÆ SION inquit Matthæus, Tropologicè, Dei verba animam noſtram alloquentis referens. Quid eſt SION? Speculam ſiue aceruum interpretantur. Quadrat vtrumque noſtro propoſito egregiè. Primū enim quod à nobis requiritur eſt, vt ſimus in ſpecula, aceruum peccatorum noſtrorū, paſſionum, malorum habituum, & imperfectionum diligenter contemplantes: imo & deflentes, confitentes, cauentes. Quod quia feciſſe iam vos omnes arbitror, (ad tales enim ſermo hic noſter dirigitur) progredior vlterius. Admonitione facta, vt nunquam tamen ab hoc exercitio ceſſetis, tum omnes, tum viri ſpirituales. Nunquam enim deerit quod ſcopemus. Vnde aiebat Dauid. *Exercitabar & ſcopebam ſpiritum meum.* Quanto vero magis id nobis faciendum erit? Iubet igitur dicere Ieſus animæ, non cuiuis ſed in ſpecula poſitæ. Quid?

*Officia noſtra è Themate.*

*1. Speculari*

*Pſal. 76.7.*

ECCE REX TVVS VENIT TIBI. Regnare ergo vult & dominari TIBI, imo in te. Prohibebiſne? Vim enim rex iſte infert nemini, nec ad vllum inuitum VENIT vnquam. Amore enim regit ſubditos, amat, &

*2. Regem retinere Chriſtum amare.*

*NOTA.*

& vult amari. Non recipies? Abſit. Id igitur ſit ſecundum ne videlicet redeas ad peccata, præſertim mortalia. Alias enim perdes ſeſſorem iſtum. Sed ama amantem te & non iam timore pœnæ, ſed amore Ieſu à vitiis abſtineas. Illud enim Iudæorum, hoc Chriſtianorum eſt proprium. Quãto magis religioſorum, qui ſe totos Chriſto deuouerũt? Clamabunt ergo in corde ſuo, & feruẽter & frequenter. Veni Domine Ieſu, veni, ecce cor meum apertum tibi, veni regna in illo, ita vt alium amorem præter te non admittat: veni & ſordeſcant mihi omnia, quæ ſub ſole ſunt, quæcunque non in te, & propter te amãtur. Et reliqua generis eiuſdem, quæ cor Deum amans, vltro citroq; ꝓducit & repetit. Quod ſi quæris qualiſnam ſit iſte tuus dilectus, præ omnibus dilectis? Reſpondebit tibi,

*3. Manſuetum eſſe.* MANSVETVS ſum. Et in prouerbio *E Claudiano.* Regis ad exemplar totus componitur orbis. Sapiens vero inquit. *Qualis rector eſt Ciui-* *Eccl. 10, 2.* *tatis tales & habitantes in ea.* Quod ſi fallit (imo fallit) in alio quopiam regno, in hoc quod amore perficitur nunquam fallit. Si enim non amas IESVM, talem rectorem de quo nunc eſt noſter ſermo, non habes. Si amas, humilis & manſuetus ſis neceſſe eſt, prout ipſum te paulo ante ad id incitantem audiuiſti; pluraque audies, quando de typo animalium iſtorum agemus,

quod

quod iam aggredimur. Nam ſequitur in themate.

Sub typo iumentorũ iſtorum 10. virtutes commẽdantur.

ET SEDENS SVPER ASINAM ET PVLLVM FILIVM SVBIVGALIS. Circa quæ verba vela ſunt pãdenda, & iuxta promiſſa decem proprietates iumentorum iſtorum, in quibus Ieſus, libenter ſedet, ſunt aperiendæ. Eæ enim ſi in nobis ſpirituali modo inueniẽtur, reperietur etiam ipſe ſeſſor Ieſus. Porro proprietatum iſtarum quinque communes ſunt omnibus huius generis animantibus: totidem vero iis quibus vſus eſt Chriſtus peculiares. Prima proprietas quæ primo in oculos incurrit omnium, eſt HVMILITAS. Eſt enim animal hoc humile, contemptum, vile, & omnium quod ſciam quadrupedum abiectiſſimum. Itaque ſicut illud humile eſt, vt ita dicam Ciceroniane; ita tu ſis humilis Chriſtiane, imo & religioſe. Quomodo? Syncerè ex puro corde abiectè de temetipſo ſentiendo, & contemni propter Chriſtum cupiendo. O quantopere eos, qui verè in oculis ſuis ſunt eiuſmodi amat Chriſtus? O quã libenter in illis ſedet Ieſus? Sit tibi exemplo Beatiſſima mater ipſius, quę cum heroicè omnibus plena eſſet virtutibus, huic adſcribit, quod verbum carnẽ in vtero ſuo aſſumere voluerit. *Quia reſperit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes,*

*PRIMA humilitas.*

*Chriſtiana nõ Ethnica.*

*Quanti valoris. Exemplo B. Virginis matris.*

*Luc. 1. 48.*

*nes*, inquit illa, rodet hæreticus, admittit Catholicus; nempe Chriſti matrem Chriſtiane de humilitate vt eſt virtus Chriſtiana locutam eſſe. Huc ſpectat, de qua iam diſſeruimus manſuetudo. Aſinus enim non eſt ferox, non excutit ſeſſorem, vt facit equus, ſed manſuetè ſe gerit. Nec ſpecioſas phaleras, nec quiduis, quod ad faſtum pertinet quicquam curat. Denique ſequi potius quam præire contendit. Eiuſmodi ſit Chriſtianus, magis autem religioſus. Manſuetus ſit ad omnes, precioſa non amet, honorari non deſideret, præeſſe aliis non optet, & non ſolum nemini ſe præferat, verum etiamſi virtutibus alios ſuperet, hoc ipſũ ignoret, & ita verè ſentiat ſe omnium eſſe viliſſimũ & abiectiſſimum. Impoſſibile id præſertim poſtremum quibuſdam videbitur: at Deum aſſiduè pro dono humilitatis oranti, & ſeriò tum peccata defectuſque proprios: tum beneficia in ſe diuina, ſuamq; ingratitudinem conſideranti: tũ in virtute hac ſancta continuè ſe exercenti, ne difficile quidem id futurum ſperandum eſt. Exempla alias attulimus, & in vitis ſanctorum Patrum Eremitarum obuia ſunt. Quod ſi necdum ad eam peruenimus perfectionem, conandum eſt tamen Dei auxilio freti vt perueniamus. Nã & niti ad perfecta ac ardua, haud modicus ad perfectionem poſſidendam gradus eſt.

*Exemplo aſelli.*

*Actus & gradus huius virtutis.*

*Media hãc acquirẽdi.*

*NOTA.*

Com-

Commendatur deinde nobis in his animalibus PATIENTIA. Cuius veſtigium tam magnum eſt in iumento iſto, vt me aliquando ad compaſſionem mouerit; quando aſpiciebam crudeliſſimè illud flagellari, ac dorſum & latera eius baculis contundi, nec tamen vllam vocem doloris, aut impatientiæ emittentem vidi. Adeo enim miſere hac in parte aſelli tractantur, vt putem nullum animal hoc nomine iis eſſe infelicius. Felices nos ſi virtuoſè illud imitari ſtuduerimus. Si inquam aduerſa omnia, quæ nobis à diuina immittuntur prouidentia patiēter tolerauerimus. Si per quos caſtigemur, boni ne an mali, num benè vel malè de nobis ſint meriti intuiti non fuerimus; ſicut aſinus non conſiderat quiſnam illum percutiat, diues an pauper, famulus an Dominus. Si denique ad hæc vniuerſa, ne mutiuerimus quidem, prout non ſolum aſinum, ſed multo magis ſeſſorem ipſius, & caput noſtrum Chriſtum Ieſum feciſſe nouimus, atteſtante tum propheta quem iam citaui: tum ipſo præſide Pilato, qui in Chriſto tantam patientiam mirabatur: tum ipſis ſole & luna, quæ patienti Ieſu, ſuo compatiebantur modo. Tu igitur, ô aſelle ſi anguſtiaris, aſpice quid patiatur ouis per quam redemptus es, & ſuſtine alacriter amore eius, qui te per patientiam redemit ſuam.

*SECVNDA Patientia.*

*Typus mirandus.*

*Gradus huius virtutis* 1. 2. 3.

*Exemplum Christi & imitatio.* *Iſa 53.7.* *Mat.25.14* *Luc.23.45*

*TERTIA Simplicitas* Commendatur præterea nobis in hoc animali SIMPLICITAS, virtus adeo cara Deo, vt cum Iob multis aliis præditus eſſet virtutibus, de hac tamen inprimis Deus, corã Sathana de eo gloriabatur. Quamuim Iob fuerit vir iuſtus, erga Deum, vt ipſe Deus de illo teſtatur: miſericors erga proximum, ita vt nihil vnquam ex iis, *quod volebant pauperes*, eis negaret, viduas quoque exſpectare non permitteret, pupillos ad menſam ſuam admitteret, & alia miſericordiæ opera lubens exerceret: fuerit etiam in ſeipſo ſic caſtus, vt *ne cogitaret quidem de virgine*: Nihilominus horum omnium quaſi oblitus Deus, de ſimplicitate eius mirificè lætatur his Sathanam alloquens verbis. *Nunquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quod non ſit ei ſimilis in terra vir ſimplex & rectus?* O virtus olim maioribus noſtris familiaris; nunc autem argentum noſtrum verſum eſt in ſcoriam, ſimplicitas in aſtutiam, rectitudo in cor duplex. At malè audit inquis ſimplicitas aſinina. Iam dixi quæ vituperij ſunt imitationem non mereri. Nonne ipſe Saluator noſter, adeo nos vult eſſe paruulos vt dicat. *Amen dico vobis, niſi conuerſi fueritis & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Et tamen Apoſtolus Paulus clamat. *Nolite pueri effici.* Quare? Quia quod

*Iob 42.7.*
*Quomodo ea placeat Deo ex Iob patet.*
*Iob 31.16.*
*Iob 31.1.*
*Iob 1.8.*
*Maioribus familiaris.*
*Obiectio. Solutio iuxta datam regulam. Exemplum nota. Mat. 18.3.*
*1. Cor. 14.20*

quod in paruulo eſt virtuoſum, vt eſt hæc ipſa de qua agimus ſimplicitas, & alia, id Chriſtus commendat: quod vero vitium ſapit, id vetat Paulus. Quapropter ſicut olim dicebat ille. *Nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitia paruuli eſtote.* Ita & ego nunc moneo. Nolite ſtultitia effici aſini, ſed ſimplicitate aſini eſtote. Eximia virtus, & cum omnibus tum religioſis commendanda, vt ſyncerè cum omnibus, maximè vero cum ſuperioribus nos geramus: vt non ſit in nobis, *eſt & non*, ſed exemplo diui Pauli EST ſit in nobis, vt in omnibus actionibus noſtris, rectam ſemper & ſimplicem intentionem habeamus, vt diſcurſus, vbi circa res agendas, actaſue diſcurſibus opus non eſt fugiamus, ne in iudicia ſæpe temeraria, ſemper vero nociua incurramus, vt rectitudinem quæ pediſſequa ſimplicitatis eſt teneamus. Cæterum ne nimia aſini ſimplicitate offendamur:

*Actus varij huius virtutis.*

*2. Cor. 11. 19.*

Commendatur etiam nobis in illo PRVDENTIA. Cuius hoc in aſello veſtigium eſſe viſitur, quod eum in quo aliquando cecidit locum declinare dicatur. O præclara & perneceſſaria virtus illis vel maxime, quos recidiuos vocamus. Qui centies in peccata prolapſi, centies iterum eadem loca, & ſcandali, caſuſque occaſiones repetunt. Stultiores &

*QVARTA Prudentia.*

*In cauendis occaſionib. peccatorũ.*

 peio-

peiores aſinis, ideoq; peius etiam, & crudelius olim quam aſini tractandi nî reſipiſcant. Vtinam ex vobis qui hic congregati eſtis, nulli tales poſt paſcha reperiantur. Nõ reperientur autem adiuuante Deo, ſi caſus ſui memores, totis viribus non caſum modo ſed & loca ac occaſiones cadendi cauebunt.

*Etiam venialium.* Id vero etiam in venialibus obſeruandum eſt, tanto ſtrictius & diligentius, quanto in perfectiori ſtatu locati ſumus. Fugienda loca, perſonæ, congreſſus, quæ peccandi etiam venialiter anſam nobis præbuerunt. Et fugienda cum virtutis: tum Chriſti amore.

*QVINTA obedientia.* Commendatur inſuper in beſtiolis iſtis nobis OBSERVANTIA Cuius tale eſt in aſello monnmentum, vt hoc animal primum cicurari cœptum eſſe narretur. Exitus certe dicta probat. Quid enim illo obſequentius? Præſto eſt ad voluntatem domini ſui. Nullum refugit laborem, onus nullum. Nec ipſe diiudicat quid ferre poſſit, ſed imponentis arbitrio ſe ſubmittit. Nec aſpicit quidnam dorſo eius imponatur, aurumne ſit an arena, argumentum an lutum: ſed quæcunq; impoſueris æquabiliter fert omnia. Nec intuetur quiſnam ſarcinas dorſo eius alliget, dominus ne ſit, an ſeruus, doctus vel indoctus, prudens & ſanctus, an è contrario. Ita omnis vere obediens ſe habet ad nutum ſuperiorum; labores & one-

*Typus conſiderandus.*

ra

ra non ſibi eligit, neq; an id quod deman-datur honorificum ſit, vel vile, vtile an in-utile, iucundum an aſperum, penſi nihil ha-bet, ſed omnia libenter exequitur, dummo-do contraria Deo non præcipiat homo. In eo enim ſolo, quia animal hoc eſt ratione præditum, vti in obediendo ratione debet: ne videlicet quod ſupremus ſuperior ve-tat, in gratiam inferioris faciat. Eo ex-cepto, quanto magis cæcè quod dicitur, ob-temperauerit, tanto dorſum ſuum, ſeſſori ſuo Ieſu mollius ſtrauerit. Faxit Ieſus vt id agamus vniuerſi.

*Sed magis res ipſa exe-quenda.*

Propoſui quæ omnibus competunt aſel-lis: ad peculiaria eorum quorum in Euan-gelio fit mentio venio. Quorum primum ſit eſſe ſubiugalem: quod de aſina tantum dicitur. Hæc enim iugo domita fuit. Quo iugo? Amoris. Illo videlicet de quo ipſe Saluator. *Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Quid enim ſuauius charitate? quid leuius amore? qui grauiſſima etiam quæque, leuia reddit. Et vero, vt in iugo eſt pars ſuperior, eſt & inferior: ita in chari-tate eſt, & amor Dei, eſt & proximi: ita com-paginati, vt vnus ſine alio, nec iugum Chri-ſti efficiat, nec eſſe queat. Hoc igitur iugo ſubacta debet eſſe anima, quę Ieſum vult ha-bere ſeſſorem. Anima inquam. Nam ſicut myſticè per aſinam populus Iudaicus, per

*Tranſitio. SEXTA Amor & charitas iu-gũ Chriſti. Mat. 11. 30.*

*Eius duæ partes.*

*Ordo inter hæc.*

pullum Ethnicus intelligitur: ita moraliter per aſinam anima, per pullum corpus deſignatur. Quod ſi vero iugum iſtud omnibus Chriſtianis eſt neceſſarium: vti eſt veriſſimè: quanto magis illo exerciti eſſe debēt, qui hoc iugo non ſeipſos modo, ſed & alios domare, ſalutemque tum propriam, tum proximorum procurare in animum induxerunt ſuum? Talibus igitur (imo ſuo modo omnibus) vt ex anima primum in corpus, poſtea in proximos hæc ſancta charitatis dimanet edomatio, totis viribus adnitendum eſt.

*SEPTIMA Multa complectitur.*

Pullus autem iſte quam peculiarem habet conditionem? Multas ſanè & admirandas, nempe quod filius ſit *ſubiugalis*, quod *foris in biuio* poſitus, quod in eo, *nemo vnquā hominum ſedit*, quod ipſe quoque fuiſſe ligatus dicatur. Quid hîc myſterij? Primum dicam cum propheta, *Bonum eſt viro cum portauerit iugum*, (Ieſu præſertim conſiliorum) *ab adoleſcentia ſua*. Beatus ſanè qui nullum vnquam præter Chriſtum admiſit ſeſſorem. Quicunque ſunt tales, prout eſſe non paucos dubium non eſt, ij, eſt quod ſummas ſeſſori ſuo agant gratias, caueantque ſtudioſè tria, præſumptionem, ſecuritatem, oſcitantiam. Quod ſi in iſtorum non reperieris numero, da operā. Primum quidē vt à vinculis carnis & peccatorum, quibus ligatus teneris

*Pro innocentibus. Ier. 3. 27.*

*Pro omnibus tria.*

ſoluat

ſoluat te manus Apoſtolica, per ſucceſſores ſuos. Deinde vt *in biuio* conſtitutus, non carnis, ſed animæ iudicio acquieſcendo, bonam electionem facias. Ea enim in re magna ſpes ſalutis poſita eſt. Denique vt PVLLVS, id eſt corpus tuum ſit filius SVBIVGALIS, ductum animæ iugo amoris Chriſti ſubiugatæ officioſe & obedienter ſequendo. Hæc ſingula pro ſingulis beſtiolis, reliqua ſunt vtriſque communia.

*OCTAVA Imitatio Apoſtolorum.*

Quorum illud ſit primum, quod ſicut vtrumque hoc animal veſtibus Apoſtolorum coniectum fuit: ita vtraq; pars noſtri, nempe tam corpus quam anima Apoſtolorum tum doctrinis, tum veſtigiis ornari debet, alias ſeſſorem Ieſum non habebit. Sit in nobis fides, ſit vita Apoſtolica, ſi non in quanta in illis fuêre perfectione, in ea tamen quæ requiritur ad ſtatum vniuſcuiuſque. Vno verbo. Omnes quidem tenentur habere fidem & charitatem: alij vero etiam conſilia ſequi & explere debent, ij nimirum, qui ad hoc à Deo vel vocantur, vel iam ſunt vocati: & tam hi quam illi exemplis Apoſtolorum inſiſtendo, bonam præbebunt ædificationem illis qui cum eis conuerſantur. Quid enim eſt aliud veſtiri veſtibus Apoſtolorum, quam doctrinam & exempla eorum conſectando ita viuere, ita lucere, vt alij videntes opera eorum *bona, glorificent Patrem* *Mat. 5. 16.*

*qui in cœlis eſt?* non ipſos inquam, ſed Deum.

*NONA*
*Duo habet.*

Sed & illud quod ſupra veſtes & frondes à turba in terram iactatas vtrumque hoc animal confidenter ambulat, doctrinis non caret. Duas noto. Alteram pro omnibus. Omnes enim vniuerſa, quæ mundus magni æſtimat: tam honores videlicet, qui per frondes; quam commoditates vel ſuperfluitates potius in victu, cultu, & aliis, quæ per veſtes deſignantur, calcare debemus alacriter, neceſſitati naturæ quæ paucis eſt contenta, non commoditatibus, minus vero voluptati, conſulentes. Alterum ad religioſos ſpectat, qui ſi vt eorum fert vocatio iſta omnia conculcauerint fortiſſime ita vt nec veſtem, nec quicquam vel minimum ſuum eſſe dicant, prout reuera ipſorum non ſunt, fiduciam habeant in Domino, hæc omnia abunde illis ſubminiſtratum iri, dummodo illi nec abutantur eis, nec pluris æſtiment, quàm animalia fecerunt veſtes iſtas & ramos, ſupra quos gradiebantur.

*Tum contemptum terrenorũ.*

*Tum fiduciam.*

*DECIMA*
*Perſeuerantia.*

Poſtremo ſit, cuſtos, conſeruatrix, & perfectrix virtutum omnium PERSEVERANTIA in bono. Parum enim iuuabit nos inchoaſſe, ſi non aderit perſeueraſſe. Itaque ſicut animalium iſtorum opera vſus eſt Chriſtus vſque dum veniret ad templum

illud

illud celeberrimum Ieroſolymitanum : ita nobis vt iſta quæ diximus & recenſuimus, omnia continuemus, vſque ad finem vitæ noſtræ ſatagendum eſt modis omnibus. Eouſque inquam, donec apparere nobis incipiat, *templum* illud quod ipſe eſt; *Deus omnipotens & agnus.* Quam ad rem multum proderit, vt diuinæ ipſius nos tradamus in omnibus voluntati, & noctu atque interdiu in ipſius amore nos exerceamus, & benè de bonitate eius ſperemus ſemper. Dicendo iterum iterumque cum Dauide. *Vt iumentum factus ſum apud te.* Ecce ego Domine Ieſu, totum me tuæ mancipo miſericordiæ, ecce aſellus ſum tuus, ecce nō alium quam te ipſum ſeſſorem habere cupio: ſuſcipe igitur me dilectiſſime, vt impleatur in me quod ibidem ſequitur, te quaſi dicente, *Et ego ſemper tecum*, ſis mecum ſemper dulcis Ieſu, & ego ſim etiam ſemper tecum: vt ſecurè decantare valeam. *Tenuiſti manum dexteram meam*, ne tam in aduerſis quam in proſperis ſuccumbam, ne in hac peregrinatione mea ſub pondere corruam; vt dicere tibi queam, *& in voluntate tua deduxiſti me*, ita vt in poſterum nihil velim aliud quam quod tu vis, & quod vis me velle, tamdiu donec eueniat, quod in Dauide ſequitur. *Et cum gloria ſuſcepiſti me.* Cum glo-

*Apoc.21.22* *Concluſio per oblationem.*

*Pſal.72.22.*

*Et deprecationem.*

gloria, inquam, non terrena iſta & caduca, cui propter te nuncium remiſi, ſed in illa gloria, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quam tu ſeſſor ſanctiſſime, & liberaliſſime iumento & aſello tuo, qui te ex dorſo non excuſſit ſuo, ibi concedes & præſtabis Chriſte IESV, vbi tu cum Patre in vnitate Spiritus ſancti viuis & regnas Deus in æternum, Amen.

* * *

FERIA